



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

Op
86
556

Gp86.556

Exchanged

APR 1 1908




Harvard College Library

FROM

By Exchange





Ep 86.556

DE COMPOSITIONE LIBRI PLUTARCHEI

QUI INSCRIBITUR

ΠΕΡΙ ΙΣΤΙΑΟΣ ΚΑΙ ΟΣΙΡΙΑΟΣ

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS FRISCH
GRANSEENSIS.

BURGIAE

A. HOPFER TYPIS EXPRESSIT

MCMVII.

Sfr 86.556

Harvard College Library

DEC 17 1907

From the University
Library

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum
rettulit E. Schwartz.

Examen rigorosum habitum est die XII. mens. Dec.
a. MCMVI.

CAROLO BARDT
S.

Caput I.

Prolegomena. De duabus fabulae explicationibus in unam conglutinatis.

Unum ex eis libris, quibus Plutarchus in opusculo περὶ Ἰσίδος καὶ Ὄσιριδος componendo usus sit, eruere et restituere et de ipsius origine, quoad fieri possit, agere hoc libello mihi proposui.

Plutarchus libro suo et fabulam, quae apud Aegyptios de deorum origine, rebus gestis, morte narratur, et varias illas explicationes, quae ad hanc fabulam pertinent, exponere in animo habuit. Itaque primum fabulam per octo capita (12—19) narrat, deinde varias explicationes adiungit, usque ad caput 44. Denique inde a capite 45 compilatio quasi harum explicationum fit: id quod omnibus commune est, ad aliam et novam explicationem adhibetur. Atque exstat locus quidam, qui ad quaestionem incipiendam maxime idoneus est. Dico capitis 32 initium. Nam ibi Plutarchus ipse certum auctorem se secuturum esse his verbis plane indicat: ταῦτα μὲν οὖν τοιαύτας ὑπονοίας δίδωσιν· ἀπ' ἄλλης δ' ἀρχῆς τῶν φιλοσοφώτερόν τι λέγειν δοκούντων τοὺς ἀπλουστάτους σκεψώμεθα πρῶτον. οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ λέγοντες . . . Ab hoc ergo loco incipiamus.

Atque primum quidem hanc Aegyptiae fabulae explicationem invenimus: παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἰσίδι συνόντα τῇ γῇ, Τυφῶνα δὲ τὴν θάλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται καὶ διασπᾶται πλὴν ὅσον ἡ γῆ μέρος ἀναλαμβάνουσα καὶ δεχομένη γίγνεται γόνιμος ὑπ' αὐτοῦ.¹⁾ Osiris

¹⁾ cf. Iohann. Lyd. de mens. IV 32: ὁ δὲ Χαιρωνεὺς Ἰσὶν μὲν τὴν γῆν εἶναι βούλεται καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον, Τυφῶνα δὲ τὴν θάλατταν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται.

ergo in hac explicatione Nilum significat, Isis terram, quae Nilo flumine inundatur, Typho mare, in quod Nilus effunditur. Atque hoc modo fabulam recte explicari compluribus argumentis, quae sequuntur, comprobatur. Omnia per totum hoc caput recte decurrunt usque ad paginae 363 finem. Pagina 364 autem his verbis incipit: δόξει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν λεγόμενον, ὡς ἡ θάλαττα Κρόνου δάκρυόν ἐστιν, αἰνίττεσθαι τὸ μὴ καθαρὸν μηδὲ σύμφυλον αὐτῆς. ταῦτα μὲν οὖν ἔξωθεν εἰρήσθω κοινὴν ἔχοντα τὴν ἱστορίαν. Pythagoreos laudatos videmus. Cur tandem? Ut comprobetur mare non solum ab Aegyptiis impurum et ab hominum natura alienum haberi, sed etiam ab aliis, e. g. a Pythagoreis (quorum doctrina Aegyptia esse saepius dicitur). Sed cum eum locum, ubi tale quid dictum sit, in verbis, quae praecedunt, desideremus, hic aliquid deesse nobis statuendum est. Fortasse non omnino in toto Plutarchi libro deest, sed ab hoc loco in alium transpositum esse inveniemus. Sed de hac re postea.

Iam ad caput 33 transeamus. Sequitur alia, priori tamen similis explicatio: οἱ δὲ σοφώτεροι τῶν ἱερῶν οὐ μόνον τὸν Νεῖλον Ὅσιριν καλοῦσιν οὐδὲ Τυφῶνα τὴν θάλασσαν, ἀλλ' Ὅσιριν μὲν ἀπλῶς ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν, αἰτίαν γενέσεως καὶ σπέρματος οὐσίαν νομίζοντες. Τυφῶνα δὲ πᾶν τὸ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες καὶ ξηραντικὸν ὅλως καὶ πολέμον τῇ ὑγρότητι. Osiris ergo iam non solum Nili aquam significat, sed ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν, umidum principium, Typho πᾶν τὸ αὐχμηρὸν . . . , quasi antea eum omnino partem quandam ignei principii esse dictum sit. Itaque tale quid in eis verbis, quae desideravimus, exstitisse nobis concludendum est. Deinde per totum caput 33 eodem modo quo in capite quod praecedit argumenta afferuntur, quibus adducamur, ut Aegyptios Osiridis et Typhonis nominibus duo illa principia appellare voluisse putemus.

In eo capite, quod sequitur, eandem fabulae explicationem continuari videmus. Ibi Osiris cum Baccho illo Graecorum, qui κύριος τῆς ὑγρᾶς φύσεως est, confertur.

Per totum quoque caput 35 comparatio inter Osirin et Bacchum fit, sed plane aliter atque in eo capite, quod praecedit. Nam Bacchus iam non κύριος τῆς ὑγρᾶς φύσεως est, sed ille βουγενής, ταυρόμορφος etc. Neque duos illos deos propterea quod et apud Graecos et apud Aegyptios umidum principium eorum nomine significetur eosdem esse comprobatur, sed quia cultus eorum simillimus sit. Ita caput 35 in hoc conexu non apte interpositum aliique auctori tribuendum esse plane apparet. Atque cuius hoc caput sit, statim videbimus.¹⁾

Neque minus ex initio capitis 36 caput, quod antecedit, ad hanc expositionem non pertinere cognoscere licet. Nam verbis οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον, ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἀπλῶς Ὅσιριδος ἀπορροὴν καλοῦσι auctor ad illam explicationem, quae a capite 33 incipit, revertitur (cf. οὐ μόνον τὸν Νεῖλον Ὅσιριν καλοῦσιν... ἀλλ' Ὅσιριν μὲν ἀπλῶς ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν). Per totum hoc caput alia argumenta ad hanc explicationem comprobendam sequuntur. Ceterum Osiris eodem sensu quo in capite 34 cum Graecorum Baccho comparatur. Atque eodem modo quo antea hanc comparisonem tale caput sequitur, quale 35 est. Totum caput 37 in hoc conexu recte stare non potest neque aliud est nisi eorum locorum collectio, in quibus dei Aegyptii cum Graecis coniuncti inveniuntur. Verbis αἱ γὰρ εἰρημέναι περὶ τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς θυσίας οἰκειότητες ἐναργεστέραν τῶν μαρτύρων τὴν πίστιν ἔχουσι caput 35 laudatur et inde, quod vocem ἐὼ bis positum invenimus, a Plutarcho hoc caput additum esse apparet. Itaque et caput 35 et 37 illi attribuendum est.

Nunc quoniam duas illas fabulae explicandae rationes novimus, ad caput 38 transeamus. Iam ad illam explicationem revertimur, in qua Osiris Nilus est (cf. cap. 32), Isis terra Nilo propinqua, Typho mare. Adduntur tres dei: Horus, Nephthys, Anubis. Hori nomine vapores significantur, qui in Aegypto

¹⁾ Hoc loco Schwartzii coniecturam afferre mihi liceat, qui pro corrupto illo ἀρχικὰ ἀρχικινδὰ scribendum esse censet (cf. pg. 365 A: δταν αἱ Θυιάδες ἐγείρωσι τὸν Λικνίτην.)

oriuntur et aestus refrigerationem ferunt. Nephthys Typhonis uxor est, ergo eius nomine terra mari propinqua appellatur, Anubis Osiridis filius nothus est, quem cum Nephthyne genuit.

Sed quid deinde fit? In capite 39, ad quod nunc transimus, Typhonem non iam mare, sed rursus illud principium aridum omniaque exurens umidoque inimicum esse videmus. Tamen narrationem et explicationem fabulae, quam a capite antecedente inceptam esse videramus, in capite 39 continuari neque praeter Typhonis explicationem quicquam mutatum esse vix credibile videtur. Iam apertum fit quam arte per hoc caput et illud, quod sequitur, duae illae explicationes coniungantur. Sed in verbis ἀφανισθέντος τοῦ πυρώδους (pg. 367 A) subsistendum est. Nam verbis εἰ δὲ ταῦτα μὴ λέγεται παρὰ τὸ εἰκός usque ad capitis finem Plutarchum nonnulla ex collectaneis suis prompta adiungere apparet. Id enim, quod in fabula de Typhonis victoria narratur, ita explicari debere contenditur, ut dicatur mare super Aegyptum fusum esse et Horum, i. e. imbres Nilum ita auxisse, ut flumen ex Aegypto mare eiceret. Talis explicatio plane nova neque ullo verbo adhuc tacta est. Atque ea verba, quae deinde sequuntur usque ad capitis finem, non ad id pertinent, quod antecedit, sed ad totam illam explicationem, in qua dei Aegyptii principia sunt.

Atque cum Plutarchus a capite 41 novam fabulae explicationem afferre incipiat, hoc loco subsistamus et tota hac a capite 32 usque ad caput 40 parte diiuncta et ex Plutarchi libro secreta iam singula accuratius tractemus. Rursus ergo a capite 32 incipiamus. Explicationem, quae hoc capite exhibetur, rectam esse his argumentis comprobari debet: primum cantu quodam lugubri, qui Nilum spectet, deinde odio, quo Aegyptii affecti sint in mare et omnia, quae eo contineantur aut cum eo coniuncta sint. Primum argumentum his verbis affertur: καὶ θρήνός ἐστιν ἱερὸς ἐπὶ τοῦ Κρόνου γενόμενος, θρηνεῖ δὲ τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς γιγνόμενον μέρεσιν, ἐν δὲ τοῖς δεξιοῖς φθειρόμενον. Αἰγύπτιοι γὰρ οἶονται τὰ μὲν ἔφα τοῦ κόσμου πρόσωπον εἶναι, τὰ δὲ πρὸς βορρᾶν δεξιὰ, τὰ δὲ

πρὸς νότον ἀριστερά. Atque inde, quod Nilus a meridie ortus ~~sub~~ septentrionibus in mare effunditur, auctor hoc cantu Nilum dici concludit. Cur id omnino affert? Ut Osiridis nomine Nilum appellari comprobet. Sed ita, ut verba tradita sunt, nihil aliud ex eis sequitur nisi Saturnum Nilum esse. Nam in Saturnum cantus ille factus est. Itaque viri docti iam pridem huic loco, quem corruptum esse apparet, medelam afferre conati sunt. ΓΜεζιριακος Νείλου scribendum esse censuit. Sed ex cantu in Nilum facto eum in Nilum factum esse concludere operae pretium non erat. Neque aliter ac si cantu illo Osiris lugetur, Osirin Aegyptiorum sententia Nilum significare sequi potest. Itaque ἐν' αὐτοῦ pro illo, quod est ἐπὶ τοῦ Κρόνου scribendum est (hanc coniecturam E. Schwartz mecum communicavit) atque Κρόνου postea pro voce αὐτοῦ falso inter scriptoris verba irrepsit.

Quod ad alterum argumentum attinet, Aegyptii Typhonis odio adducuntur, ut salem, Τυφῶνος ἀφρόν, spernant, gubernatores non alloquantur, piscibus non vescantur. Sed nunc paulisper subsistamus atque librum perscrutemur, num alia quoque huius explicationis vestigia inveniamus. Statim ineunte libro talem locum invenimus, in pg. 353 C, inde a verbis ἰχθύων δὲ θαλαττίων et quae sequi. usque ad verba δύο λόγους ἔχοντας, ὧν τὸν μὲν ἱερὸν καὶ περιττὸν αὐθις ἀναλήψομαι συνάδοντα τοῖς περὶ Ὅσιριδος καὶ Τυφῶνος ὁσίως φιλοσοφούμενοις. Verbis ὁ δ' ἐμφανής καὶ πρόχειρος..., quae sequuntur, hoc loco Plutarchum argumenta, quae ad alium conexum pertinent, in suum usum vertisse ad id, quod iam prima libri parte vindicatur, pluribus argumentis confirmandum Aegyptios summa abstinentia uti, apparet.

Nunc quid de toto hoc septimo capite dicamus? Primum hoc constat Plutarchum verbis αὐθις ἀναλήψομαι indicare illud caput 32, de quo iam egimus. Hinc ergo iam elucet, ad quem conexum totum caput septimum pertineat. Hoc certius fiet, ubi singula ea, quae hoc capite perhibentur, tractaverimus. De piscibus marinis agitur. Sed neque oxyrhynchus neque

phager in mari vivunt, sed in Nilo flumine. A piscibus marinis ergo incipiamus: certo anni die omnes Aegyptii piscibus marinis vescuntur, sacerdotes hoc quoque die piscibus se abstinent. Quam ob rem pisces eduntur? Propter id ipsum, quod marini sunt et mare et omnia quae in mari sunt, Aegyptiis odio esse vidimus (cf. pg. 363 F). Sed sacerdotes piscibus omnino non vescuntur; nam quamquam ceteris Aegyptiis piscibus vescendo Typhonis odium et iram significare licet, tamen sacerdotes dedecet impuri quicquam oribus suis admove.

Ne cetera quidem capitis verba ab ea explicatione, quae in capite 32 nobis occurrit, secernenda sunt. Iam de eis piscibus mihi agendum est, qui in Nilo flumine vivunt et ab Aegyptiis coluntur. In Aeliani libro, qui inscribitur de natura animalium, fere idem invenimus, quod in capitis septimi initio exstat. Itaque hos duos locos componere mihi liceat.

Plut. cap. 7.

καθάπερ Ὀἰθυρηγίται τῶν ἀπ' ἀγκίστρον (scil. ἀπέχονται) σεβόμενοι γὰρ τὸν Ὀἰθυρηγὸν ἰχθὺν δεδίασι μὴ ποτε τὸ ἀγκίστρον οὐ καθαρὸν ἔστιν Ὀἰθυρηγίου περιπεσόντος αὐτῷ

Aelian. de nat. an., I 46.

ἀγκίστρον δὲ θηραθέντα ἰχθὺν οὐκ ἂν ποτε φάγοιεν οἷδε οἱ ἄνδρες (scil. Ὀἰθυρηγίται), δεδιότες μὴ ποτε ἄρα αὐτῷ περιπαρεῖς ἔτυχεν ὁ παρὰ σφίσιν ἱερός καὶ θαυμαστός ἰχθὺς ὃν εἶπον. ἔαν δὲ καὶ δικτύοις ἀλώσι ποτε ἰχθύες, ἀνιχνεύουσι ταῦτα, μὴ παραλαθῶν ἐνέπεσεν ἐκεῖνος. καὶ προτιμῶσιν ἀθηρίαν ἢ ἀλόντος ἐκείνου τὴν μάλιστα εὐθηρίαν. λέγουσι δὲ αὐτὸν οἱ περίχωροι ἐκ τῶν Ὀσίριδος τραυμάτων γεγονέναι. νοοῦσι δὲ τὸν Ὀσίριν ἄρα τὸν αὐτὸν τῷ Νεῖλῳ εἶναι.

Ita Aelianus quoque hanc partem ad illam doctrinam, quam in 32. capite invenimus, pertinere tradit et plus servavit quam Plutarchus: Osiris idem est ac Nilus, ex Osiridis vulneribus oxyrhynchus ortus Aegyptiis sacer habetur neque editur

Phager a Syenitis colitur: δοκεῖ γὰρ ἐπιόντι τῷ Νεῖλῳ συνεπιφαίνεσθαι, καὶ τὴν αὖξιν ἀσμένοις φράζειν αὐτάγγελος

δρώμενος. Idem de phagro Aelianus tradit, in libri I capite 19: τοὺς ἰχθῦς τοὺς φάγρους Συηνῖται μὲν ἱεροὺς νομίζουσιν, sed addit: οἱ δὲ οἰκοῦντες τὴν καλουμένην Ἐλεφαντίνην τοὺς μαιώτας. Causa huius cultus eadem est: ἀνιέναι τε καὶ ἀναπλεῖν τοῦ Νείλου μέλλοντος οἱ δὲ προθέουσι τε καὶ νήχονται οἷον τοῦ νέου ὕδατος ἄγγελοι, καὶ τὰς τῶν Αἰγυπτίων ἀνηρημένας γνῶμας προευφραίνουσι καλαῖς ἐλπίσι, τὴν ἐπιδήμειαν τοῦ ρεύματος πρῶτοι συνιέντες καὶ θαυμαστῇ τινι φύσει προμαντευόμενοι ἐκεῖνοί γε. Videmus ergo, ad quam fabulae Aegyptiae partem hi loci pertineant: Osiris ab Iside rursus invenitur, i. e. Nilus terram Aegyptiam inundare incipit, et hoc Aegyptii per illos pisces comperiunt.

Eodem modo atque hic alibi quoque inter animalia et Nilum flumen rationem quandam intercedere legimus. Addere mihi liceat hos locos:

Plut. de soll. an. 974 F: Λίβυες δ' Αἰγυπτίων καταγελῶσι μυθολογούντων περὶ τοῦ ὄρυγος ὡς φωνὴν ἀφιέντος ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας ἧς ἐπιτέλλει τὸ ἄστρον, ὃ Σῶθιν αὐτοί, Κύνα δὲ καὶ Σείριον ἡμεῖς καλοῦμεν (hoc est illud tempus, quo Nilus flumen Aegyptum inundare incipit.¹⁾)

De canis veneratione Aelianus in libri I capite 45 hoc dicit: ἡ δὲ ἑτέρα (scil. causa venerationis) ὅτι ἄρα ἤδη μὲν ἀνατέλλει τὸ ἄστρον ὃ κύων, δὲν Ὠρίωνος ἡ φήμη γενέσθαι λέγει, συνανίσχει δὲ αὐτῷ τρόπον τινὰ καὶ ὁ Νεῖλος ἐπιὼν ἐς τὴν ἀρδείαν τῆς γῆς τῆς Αἰγυπτίας καὶ ἀναχεῖται περὶ τὰς ἀρούρας ὡς οὖν ἄγοντα τότε τὸ γόνιμον ὕδωρ καὶ παρακαλοῦντα τιμῶσιν Αἰγύπτιοι. Quae ratio inter illud sidus, quod leo appellatur, et Nili inundationes intercedat, ex Plutarchi Quaestionibus Convivialibus comperimus (670 C): κρῆναι δὲ κατὰ χασμάτων λεοντείων ἐξιάσι κρουνοὺς, ὅτι Νεῖλος ἐπάγει νέον ὕδωρ ταῖς Αἰγυπτίων ἀρούραις, ἡλίου τὸν λέοντα παροδεύοντος.²⁾ Fortasse id quoque ad

¹⁾ cf. Aelian. de nat. an. Z 8: Αἰγυπτίων ἀκούω λεγόντων τὸν ὄρυγα συνιέναι τὴν τοῦ Σείριου ἐπιτολὴν πρῶτον καὶ μαρτύρεσθαι τῷ παρμῷ αὐτῇν (Horap. I μθ').

²⁾ cf. Iohann. Lyd. de mens. IV 68: κατὰ τὸν ἐν λέοντι ἥλιον ἀναχεῖται ὁ Νεῖλος; Horap. I κα': Νείλου δὲ ἀνάβασιν σημαίνοντες ... λέοντα

hanc explicationem pertinet, quod in Aeliani libro (de nat. an. I B 4) legimus: πρὸ τοῦ τὸν Νεῖλον ἐπιπολάζειν τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐς τὰς ἀρούρας ἀνέρχεσθαι, ἀφιάσι (scil. οἱ ἰέρακες) τῶν πτερῶν τὰ ἤδη γηρῶντα ὥσπερ οὖν τῶν φυτῶν οἱ κλάδοι τὰ φύλλα τὰ ξηρά, καὶ ἀναφύουσι πτίλα νεαρὰ καὶ ὠραῖα οἱ ἰέρακες ὡς τὴν ἄνθην τὰ δένδρα.

Atque in eo Aeliani capite, in quo de signis Apis, illius εἰκόνας Ὀσίριδος ἐμψύχου (Plut. π. Ἰ. κ. Ὁ. 368 C), agitur et varia ex variis explicationibus afferuntur (de nat. an. I A 10), legimus: καὶ γὰρ τοὶ καὶ τὴν ἀνοδὸν τὴν τοῦ Νεῖλου ὑποδηλοῦν σημειᾷ φασι. Fortasse haec omnia ad illam explicationem restituendam adiungenda sunt.

Iam ad caput septimum redeamus et finem eius capituli tractemus: ὅλως δὲ καὶ τὴν θάλατταν ἐκ πυρὸς ἡγοῦνται καὶ παρωρισμένην, οὐδὲ μέρος οὐδὲ στοιχείον, ἀλλ' ἄλλοιον περίττωμα διεφθορὸς καὶ νοσῶδες. Totum caput ad capitis 32 expositionem pertinere et verbis αὐθις ἀναλήψομαι illud caput laudari supra vidimus. Nunc quaestio oritur, an idem de fine capituli dicendum sit. Atque nobis respondendum est: haec est illa sententia, quam in fine capituli 32 desideravimus (cf. pg. 2). Nam omnia recte usque ad finem capituli decurrunt, si totum caput (praeter ea, quae Plutarcho attribuenda sunt) ante verba δόξει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν et quae sequ. in caput 32 transponimus: . . . ὅλως δὲ καὶ τὴν θάλατταν ἐκ πυρὸς ἡγοῦνται καὶ παρωρισμένην, οὐδὲ μέρος οὐδὲ στοιχείον, ἀλλ' ἄλλοιον περίττωμα διεφθορὸς καὶ νοσῶδες. δόξει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν λεγόμενον, ὡς ἡ θάλαττα Κρόνου δακρυόν (i. e. περίττωμα) ἐστίν, αἰνίττεσθαι τὸ μὴ καθαρὸν μηδὲ σύμφυλον αὐτῆς. ταῦτα μὲν οὖν ἔξωθεν εἰρήσθω κοινὴν ἔχοντα τὴν ἱστορίαν. Nunc demum apparet, ad quid id spectet, quod dicitur Τυφῶνα δὲ πᾶν τὸ αὐχμηρὸν (scil. καλοῦσιν), cum paulo antea Typhonem, i. e. mare, ignis partem esse commemoratum

γράφουσι . . . ἐπειδὴ ὁ ἥλιος εἰς λέοντα γενόμενος πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νεῖλου ποιεῖται, ὥστε ἐμμένων τῷ ζωδίῳ τούτῳ τὸ δέμοιρον τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖ πολλὰκις.

sit. Ita totum 32. caput restitui et recte me restituisse ex ipsius Plutarchi alio loco evidentissime apparet. Dico Quaestionum Convivialium paginam 729 B, ubi haec legimus: ἔστι δ' ἀληθὴς μία (scil. causa, qua adducti Aegyptii sale se abstinent), τὸ πρὸς τὴν θάλατταν ἔχθος, ὡς ἀσύμφυλον ἡμῖν καὶ ἀλλότριον, μάλλον δ' ὄλως πολέμιον τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου στοιχείον. οὐ γὰρ τρέφεσθαι τοὺς θεοὺς ἀπ' αὐτῆς, ὥσπερ οἱ Στωικοὶ τοὺς ἀστέρας ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ τοῦναντίον εἰς ταύτην ἀπόλλυσθαι τὸν πατέρα καὶ σωτήρα τῆς χώρας, δν Ὀσίριδος ἀπορροὴν ὀνομάζουσι· καὶ θρηγοῦντες τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς μέρεσι γεννώμενον ἐν δὲ τοῖς δεξιοῖς φθειρόμενον αἰνίττονται τὴν τοῦ Νείλου τελευτὴν καὶ φθορὰν ἐν τῇ θαλάττῃ γιγνομένην. ὅθεν οὔτε τὸ ὕδωρ πότιμον αὐτῆς, οὔθ' ὣν τρέφεται καὶ γεννᾷ καθαρὸν ἡγοῦνται καὶ οἰκείον, οἷς μήτε πνεύματος κοινου μήτε συμφύλου νομῆς μέτεστιν, ἀλλ' ὁ σφύζων πάντα τᾶλλα καὶ τρέφων ἀῆρ ἐκείνοις ὀλέθριός ἐστιν, ὡς παρὰ φύσιν καὶ χρεῖαν γεγρονόσι καὶ ζῶσιν. οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν, εἰ τὰ ζῶα διὰ τὴν θάλατταν ἀλλότρια καὶ οὐκ ἐπιτήδεια καταμίγνυσθαι εἰς αἷμα καὶ πνεῦμα νομίζουσιν αὐτῶν, οἳ γε μὴδὲ τοὺς κυβερνήτας ἀειοῦσι προσαγορεύειν ἀπαντῶντες, ὅτι τὸν βίον ἀπὸ θαλάττης ἔχουσι.

Hoc ergo loco illa duo capita artissime inter se coniuncta invenimus et fere eisdem verbis auctor utitur quibus in capitibus 7 et 32. Mare ἀσύμφυλον ἡμῖν καὶ ἀλλότριον στοιχείον appellatur, Osiris Nilus est, qui sinistra oritur, dextra moritur, qui ex Aethiopia ortus in mare eicitur. Omnia quae in mari sunt et gubernatores, qui ex mari victum quaeritant, Aegyptiis odio sunt. Quae omnia iam in illis capitibus leguntur, ut dubitandum non sit, quin Plutarchus illa coniuncta ex auctore suo desumpserit, sed aliis, quas iam attuli, rationibus adductus sit, ut ea dirimeret.

Atque nunc demum cognoscere nobis licet, quid tandem sibi velint ea, quae in fine capitibus 32 restituti leguntur, scilicet verba illa ὄλως δὲ καὶ τὴν θάλατταν ἐκ πυρὸς ἡγοῦνται καὶ παρωρισμένην et quae sequuntur usque ad finem capitibus 32. Ex verbis οὐ μόνον τὸν Νεῖλον . . ἀλλ' . . ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν

ἀρχὴν καὶ δύναμιν et πᾶν τὸ αὐχηρὸν καὶ πυρῶδες (cap. 33) intellectu difficile non est eum, qui verba ὅλως δὲ καὶ sequ. scripserit, duas illas explicationes, quas a capite 38 inter se mixtas supra inveneramus (pg. 4), iam statim, cum eas primum commemoraret, ita coniungere voluisse, ut secundam primae simillimam esse, in prima Osirin partem aquae, Typhonem partem ignis, in secunda Osirin totam aquam, Typhonem totum ignem significare diceret.¹⁾

Neque minus nunc demum apparet Plutarchum ipsum has explicationes non coniunxisse. Quod cum per se credibile sit, tum maxime inde sequitur, quod illa verba, quibus a prima explicatione ad alteram transitur, in duas partes male seiuncta invenimus, quarum altera in capite 7 exstat, altera locum suum obtinuit. Plutarchus ergo in libro suo componendo hac ratione usus est, ut ex illis libris, quos exscripsit, nonnulla demeret atque in alium conexum transponeret. Hoc saepius ipse indicat aut cum iis locis ubi aliquid deest tales notas addit, qualis ea est, quae nobis in pg. 365 F occurrit, αἱ γὰρ εἰρημέναι περὶ τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς θυσίας οἰκειότητες aut cum eo loco, quo id, quod seiunxit, pertinet, rem iterum tractare se velle dicit (cf. ὦν τὸν μὲν ἱερὸν καὶ περιττὸν αὐθις ἀναλήψομαι, συνάδοντα τοῖς περὶ Ὀσίριδος καὶ Τυφῶνος ὁσίως φιλοσοφούμενοις, cap. 7).

Quod ad actionem fabulae, quae capite 32 explicatur, attinet, ea simplicior esse videtur, quam ut integram fabulam hac explicatione contineri putemus. Nihil enim de eis rebus comperimus, quae post Osiridis mortem gestae sunt. Sed de hac re infra mihi agendum est atque tum in ea fabula, ad quam explicandam caput 32 scriptum est, multo plus narratum fuisse apparebit quam id, quod adhuc ex illa explicatione

¹⁾ Quoniam statim in capitibus sequentibus Heraclitea philosophia nobis occurret, non inutile erit ad hunc locum fragmentum Heracliti 31 (Diels) afferre: πυρὸς τροπαὶ πρῶτον θάλασσα· θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἡμισυ γῆ, τὸ δὲ ἡμισυ πρηστήρ. Fortasse is, qui hoc transitu usus est, ex Heracliti philosophia id desumpsit, quo duas illas explicationes coniungeret.

divinare possumus: Osiris Isidem in matrimonium ducit, deinde a Typhone necatur.

Iam ad secundam eam explicationem transeamus, quae capitibus 33, 34, 36 affertur, omittamus autem ea capita, quae Plutarchi ipsius esse supra (pg. 3) vidimus. De initio capitis 33, quomodo totum ita formatum sit, ut explicationes quas re vera maxime diversas esse infra apparebit, inter se simillimae esse videantur, iam egi.

Osiridis ergo et Typhonis nominibus elementa significari contenditur. Osiris umidum et fecundum, Typho aridum et sterile fecundoque inimicum principium est. Atque cuiusmodi argumenta sint, quae ad hanc explicationem fabulae comprobendam afferuntur, inquiramus. Eodem modo quo in capite 32 argumenta voce διὸ introducuntur (cf. διὸ τὴν τε θάλασσαν οἱ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται καὶ τὸν ἄλλα Τυφῶνος ἀφρὸν καλοῦσι, pg. 363 E), quasi primum fabula et explicationes eius exstitissent, deinde Aegyptiorum opiniones et mores secundum illa nata essent. Typhonis nomine ignis significatur propter Typhonis colorem. Nam Aegyptii Typhonem rutilum fuisse credunt et propterea omnes homines rutilos perhorrescunt. Huic loco adiungendum est, quod in pg. 362 F legimus: τῶν μὲν ἀνθρώπων τοὺς πυρροὺς καὶ προπηλακίζοντες (scil. οἱ Αἰγύπτιοι τὴν τοῦ Τυφῶνος δύναμιν ἐκταπεινοῦσι καὶ καθυβρίζουσι), ὄνον δὲ καὶ κατακρημνίζοντες, ὡς Κοπτῖται, διὰ τὸ πυρρὸν γεγενῆναι τὸν Τυφῶνα καὶ ὀνώδη τὴν χροῖαν. Βουσιρῖται δὲ καὶ Λυκοπολῖται σάλπιγγιν οὐ χρώνται τὸ παράπαν ὡς ὄνη φθεγγομέναις ἐμπερές.¹⁾ Addendum est hoc quoque, quod in pg. 363 B exstat: Αἰγύπτιοι δὲ πυρρόχρουν γεγενῆναι τὸν Τυφῶνα νομίζοντες καὶ τῶν βοῶν τοὺς πυρροὺς καθιερεύουσι et quae sequi.²⁾

¹⁾ cf. Aelian, de nat. an. I 28: σάλπιγγος ἦχον βδελύττονται Βουσιρῖται καὶ Ἀβυδοὺς ἢ Αἰγυπτία καὶ Λύκων πόλις, ἐπεὶ πως ἔοικεν ὄνη βρωμένῃ.

²⁾ cf. Diod. I 88, 4 (= Hecataeus, cf. E. Schwartz, Pauly-Wissowa s. v. Diod.) τοὺς δὲ πυρροὺς βοῦς συγχωρηθῆναι θύειν διὰ τὸ δοκεῖν τοιοῦτον τῷ χρώματι γεγενῆναι Τυφῶνα τὸν ἐπιβουλεύσαντα μὲν Ὀσίριδι, τυ-

Hic locus ad explicationem Aegyptiae religionis, quam nunc tractamus, probandam et confirmandam summi momenti est. Aegyptii boves rutilos immolant, quia eos propter Typhoneum colorem oderunt: hoc plane pertinet ad hanc explicationem. Sed magis id apparet, si legimus, cui hos boves immolaverint: διὸ τῇ μὲν κεφαλῇ τοῦ ἱερείου καταρασάμενοι καὶ ἀποκόψαντες εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι. Umido illi principio, aquae, boves ab Aegyptiis immolabantur. Ita bestiis principio arido sacris umidum principium placare solebant.

Alias Aegypti gentes ignem divinum habuisse, alias aquam ex Aeliano comperimus (de nat. an. l 24): εἰκάζουσι δὲ τὸν μὲν κροκόδειλον ἐκεῖνοι (scil. οἱ Κοπτῖται) ὕδατι, ἔνθεν τοι καὶ σέβουσιν· οἱ δὲ (scil. Τεντυρίται) τὸν ἱέρακα πυρὶ, ταύτῃ τοι καὶ προσκυνοῦσι.

Ut Osirin umidum principium esse comprobetur, haec argumenta afferuntur: Osirin nigrum fuisse Aegyptii credunt. Ergo cum omnis niger color ex umido principio originem habeat, Osiris umidum principium est. Nam aqua et terram et vestes et nubes nigras reddit, crines iuvenum nigri sunt propter humorem, qui in eis est; atque postquam hic ex eorum corporibus cessit, crines albi fiunt. Tum sequitur argumentum eius rei, cur Osiris αἰτία γενέσεως καὶ σπέρματος οὐσία et Typho πολέμιος τῇ ὑγρότητι (cf. capitis initium) sit. Ver propter humorem fecunditatem dat, autumnus propter siccitatem plantis inimicus est et animalibus nocet. (Hunc locum summi momenti esse et alibi quasi laudari infra videbimus). Bos Osiridi sacer niger est. Aegyptus, quae terra inter omnes maxime nigra est, cum corde propter calorem et humorem confertur, et quia ut cor in laeva hominis parte, ita illa terra in laeva orbis parte sita sit (cf. cap. 32: Αἰγύπτιοι γὰρ οἶονται τὰ μὲν ἑῷα τοῦ κόσμου πρόσωπον εἶναι, τὰ δὲ πρὸς βορρᾶν δεξιὰ, τὰ δὲ πρὸς νότον ἀριστερά).

χόντα δὲ τιμωρίας ὑπὸ τῆς Ἰσιδος διὰ τὸν τάνδρὸς φόνον. καὶ τῶν ἀνθρώπων δὲ τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι τὸ παλαιὸν ὑπὸ τῶν βασιλέων φασὶ θύεσθαι et quae sequi.

In capite, quod sequitur, in quo Graeca religio cum Aegyptia comparatur et ex hac derivatur, apparet, cum quali philosophia in hac explicatione nobis res sit. Aegyptii Solem et Lunam non curribus, sed navibus per caelum vehi credunt, quia sol et luna ex umido orta sint et umidis vaporibus alantur. Haec est Heracliti philosophia. Quamquam Thales statim laudabitur, auctorem explicationis non hunc sequi,¹⁾ sed Heraclitum, inde apparet, quod infra alia inveniemus, quae ad hanc explicationem, sed non ad Thaletis philosophiam pertinent. Deinde versus ex Homeri Iliade (Ξ 201) affertur: Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν, ut Homerum²⁾ item atque Thaletem in Aegypto didicisse probetur aquam omnium rerum principium esse. Oceanum Osirin esse, Tethyn Isin explicatur. Sed cum apud Homerum Tethys, uxor Oceani et mater Oceanitidum, aquam significet, hoc loco alia interpretatio quaerenda est. Nam in ea explicatione, quam tractamus, aqua iam Osiridis nomine significatur, quare, cum Typho quoque unum ex quattuor elementis sit, Isidi etiam unum ex illis quattuor principiis attribuendum est. Restant duo, aer et terra. Neque difficile est intellectu, utrum eligendum sit. Nam si conexum duarum illarum explicationum contemplamur, hoc apparet. Quae ita arte, ut videmus, non coniungi possunt, nisi quodammodo inter se similes sunt. Sed eas maxime inter se diversas esse, alteram terram Aegyptiam et Nilum flumen spectare, alteram principia mundi iam vidimus. Neque is, qui eas coniunxit, aliter ab altera ad alteram transire potuit quam ita ut illam Aegyptiorum de mari opini-

¹⁾ Nam hic quoque, quamquam non traditum est, sidera aquarum vaporibus sustentari et ali eodem modo, quo terram in aqua quasi nare credidit (Diels in lectionibus suis, hieme 1904/5).

²⁾ cf. Aristot. Metaph. A 3, 983 B 27: εἰσὶ δὲ τινες οἱ καὶ τοὺς παμπάλαιους καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας οὕτως οἰοῦνται περὶ τῆς φύσεως ὑπολαβεῖν (scil. ita, ut Thales). Ὠκεανόν τε γάρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὸν ὄρκον τῶν θεῶν ὕδωρ, τὴν καλουμένην ὑπ' αὐτῶν Στύγα [τῶν ποιητῶν]· τιμωτάτον μὲν γὰρ τὸ πρεσβύτατον, ὄρκος δὲ τὸ τιμωτάτον ἐστίν.

onem fingeret (cf. ὅλως δὲ καὶ et quae sequ.). Sed cur tandem eas coniunxit, si revera inter se alienissimae sunt? Ubi est id, quod ambabus commune est? De Osiride iam vidimus: in altera aquae partem, in altera totius mundi aquam eum esse compiler dicit. At hoc non satis similitudinis est ad duas explicationes ita arte inter se coniungendas. Isis quoque in secunda explicatione similiter explicata esse debet atque in prima. Eodem ergo modo quo Osiris in prima explicatione aquae partem, Aegypti flumen, in altera universam mundi aquam significat, Isidis nomine in prima Aegypti terra, in secunda tota terra appellatur, i. e. τὸ ξηρὸν, ἡ γῆ. Quod confirmari videbimus, cum ad ea capita accedemus, in quibus duae illae explicationes quam maxime inter se miscentur, et cognoscemus, qua ratione compiler in libro suo componendo usus sit.

Tum in eodem capite nomen et Osiridis et Dionysi a verbo ὕειν et ὕσις (ὕσεως legendum cum Salmasio et pro εὐρέσεως ῥύσεως).¹⁾

Eandem explicationem per totum caput 36 continuari iam dixi. Alia argumenta afferuntur, quibus id agitur, ut eam explicationem rectam et Osirin Bacchumque eosdem deos esse comprobetur. Commemorantur et urna quae in Osiridis cultu adhibetur, et iuncus, quo signo in scribendo Aegyptii utuntur. Etiam phallus, qui triplex est, diebus solemnibus, qui Πάμυλων ἑορτῇ nominantur, circumfertur. Quo ex aqua tria illa elementa, terram aerem ignem orta esse significatur.²⁾ Verbis ὥσπερ εἴρηται id, quod in pg. 355 E, h. e. in fabulae narratione de Pamyliis dicitur laudari videmus.

Deinde pars fabulae explicatur et id eo modo, ut fere idem dicatur, quod in sententia quae antecedit, legimus. Osiris umidum principium est (hoc ex phallo apparere, qui commemoratur, nam semen umidum esse) et ex illo umido principio

¹⁾ E. Schwartz coni.

²⁾ Id, quod inter verba τριπλοδίων ἔστι et παλαιῶν interpositum est, ab hac explicatione, quae tota in elementis posita est, abhorre mihi videtur. Fortasse haec verba Plutarcho attribuenda sunt.

omnia orta sunt. Sed quod deinde sequitur, valde obscurum est. Affertur fabula quaedam, qua bellum inter Iovem et Apopin, Solis fratrem, factum esse narratur. Quia Osiris Iovem adiuvat et hostem fugat, Iuppiter eum adoptat et Bacchum nominat. Additur huius fabulae explicatio: Iuppiter πνεῦμα est, eius hostis τὸ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες. Umido principio (i. e. ab Osiride) illud aridum tollitur et vapores augentur, quibus venti aluntur.¹⁾

Accedamus nunc ad illa ex duabus explicationibus commixta capita (cap. 38—40). Sirius Isidi sacer est, quia aquam secum fert. Isidis nomine ergo Aegyptia terra significatur, nam Sirii ortus initium Nili inundationis est. Leo colitur, quia Nilus Aegyptum inundat, cum sol per sidus, quod leo appellatur, percurrit.²⁾ Ita iam videmus, quacum explicatione nobis res sit, scilicet cum ea, in qua Osiris Nilum, Isis Aegyptiam terram, Typho mare significat. Quod eis, quae sequuntur, verbis confirmatur: ὡς δὲ Νεῖλον Ὀσίριδος ἀπορροήν, οὕτως Ἰσίδος σῶμα γῆν ἔχουσι καὶ νομίζουσιν οὐ πάσαν, ἀλλ' ἥς ὁ Νεῖλος ἐπβαίνει σπερμαίνων καὶ μιγνύμενος. Osiris cum Iside concumbit. Ita Horus nascitur. Sed quid eius nomine significatur? ἔστι δ' Ὠρος ἡ πάντα σφύζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα καὶ κρᾶσις ἀέρος, ὃν ἐν τοῖς ἔλεσι τοῖς περὶ Βοῦτον ὑπὸ Λητοῦς τραφῆναι λέγουσιν· ἡ γὰρ ὑδατώδης καὶ διάβροχος γῆ μάλιστα τὰς σβεννουσὰς καὶ χαλῶσας τὴν ξηρότητα καὶ τὸν αὐχμὸν ἀναθυμιάσεις τιθηνεῖται. In his verbis omnia confusa sunt. Primum dicitur: Horus ὥρα καὶ κρᾶσις ἀέρος est, deinde: terra umida (i. e. Isis ab Osiride gravidata) vapores (scil. Horum) parit, quibus aestus superatur et deletur. Nunc quarendum est, quomodo haec perturbatio facta sit. Atque primum hoc constat in fine verborum de proelio aliquo inter vapores et principium aridum facto agi. (Hoc est proelium illud, quod inter

¹⁾ cf. fabulae narrationem, pg. 357 D: τοῦ δὲ Φαίδρου ποταμοῦ πνεῦμα τραχύτερον ἐκθρέψαντος ὑπὸ τὴν ἔω, θυμωθείσαν ἀναξηρᾶναι τὸ βεῖθρον. Hoc quoque loco ventos ex aqua oriri comperimus.

²⁾ cf. ea, quae pg. 7 collegi.

Horum et Typhonem commissum esse ex fabulae narratione (cap. 19) comperimus.) Ergo finem verborum, quae laudavi, ad secundam explicationem pertinere apparet. Quid autem de eis verbis, quae praecedunt (ἔστι δ' Ὅρος — τραφήναι λέγουσιν) dicendum sit, mox videbimus, sed antea totum hoc caput et ea quae sequuntur tractanda sunt. Hic primum quaestio oritur, quomodo Horus in prima illa explicatione explicatus sit. Propterea ad ea, quae sequuntur, accedamus: Νέφθυν δὲ καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης· διὸ καὶ Τελευτὴν ἐπονομάζουσι τὴν Νέφθυν καὶ Τυφῶνι δὲ συνοικεῖν λέγουσιν. Typho rursus mare, Nephthys ea terra, quae mari adiacet, et Typhonis uxor est. Ex eorum concubitu filius non nascitur, nam mare terram fecundam reddere non potest, terrae mari finitimae steriles esse solent. Sed Nilus magna inundatione facta terram mari finitimam consecutus gravidat, ex Osiridis et Nephthynis concubitu Anubis nascitur. Typho adulterium factum esse videt ex plantis efflorescentibus, inter quas etiam melilotum est, οὐ φησι μῦθος ἀπορρυέντος καὶ καταλειφθέντος¹⁾ αἰσθησιν γενέσθαι Τυφῶνι τῆς περὶ τὸν γάμον ἀδικίας.

Hanc fabulae partem, quae hic affertur, in totius fabulae narratione reperimus, in pg. 356 F: αἰσθομένην δὲ (scil. τὴν Ἴσιν) τῇ ἀδελφῇ ἐρῶντα συγγεγονέναι δι' ἄγνοιαν ὡς ἑαυτῇ τὸν Ὅσιριν, καὶ τεκμήριον ἰδοῦσαν τὸν μελιλώτινον στέφανον, ὃν ἐκεῖνος παρὰ τῇ Νέφθυι κατέλιπε.

Videmus ergo Anubin, Osiridis filium alterum, plantas significare, itaque Horus, alter ille filius, in prima quam tractavimus explicatione non aerem vel vapores vel tale quid, sed idem plantas significaverit necesse est. Sed hoc interest inter Osiridis filios: eodem modo loca inter se diversa obtinent quo matres eorum. Alterius nomine plantae, quae in Aegypto superiore crescunt, appellantur, alterius eae, quae prope mare oriuntur.

¹⁾ sic scribendum esse puto pro ἀπολειφθέντος: quo de Osiridis capite delapso et relicto.

Nunc ad caput quod sequitur accedamus: ἡ δὲ Τυφῶνος ἐπιβουλὴ καὶ τυραννὶς αὐχοῦ δύναμις ἦν ἐπικρατήσαντος καὶ διαφορήσαντος τὴν τε γεννῶσαν ὑγρότητα τὸν Νεῖλον καὶ αὔξουσιν. Partim cum secunda partim cum prima fabulae explicatione nobis res est. Nilus aestu premitur itaque aqua privatur. Typho ab Aethiopiae regina adiuvatur, qua venti, qui ex Aethiopia flant, significantur. Eodem tempore, quo Typho Nilum superare studet, illi cum ventis, qui a septentrionibus nubes aquae plenas ad Nili fontem fluminis augendi causa agunt,¹⁾ pugnandum est. His quoque ventis superatis Nilus aqua caret: κατέχων ὁ Τυφῶν ἐπιφλέγει καὶ τότε κρατήσας παντάπασιν τὸν Νεῖλον εἰς ἑαυτὸν ὑπ' ἀσθενείας συσταλέντα καὶ ῥυέντα κοῖλον καὶ ταπεινὸν ἐξέωσεν εἰς τὴν θάλασσαν. Quid tandem Typho consequi voluit? Duplex eius victoria est, primum Nilus aqua privatur, deinde in mare eicitur. Sed fieri non potest, ut flumen aestu in mare depellatur (ὁ Τυφῶν ἐπιφλέγει καὶ . . . ἐξέωσεν). Iam videmus quomodo haec perturbatio orta sit. Typho rursus mare est, in quod Nilus depellitur (θάλασσαν εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται καὶ διασπᾶται pg. 363 D). Ita hoc loco Typhonis nomine et aestus et mare significatur omniaque perturbantur. Nam eo ipso tempore, quo Nilus augetur, aestus in Aegypto summus est. Ergo tum Typho ἐπιφλέγει, non cum flumen deminuitur. Atque id ipsum Graeci semper maxime mirati sunt, quod Nilus summi aestus tempore summam aquae vim secum ferret, cum Graeca flumina eo tempore valde deminuerentur. Ita videmus compilatorem, quamquam maxime coniungendis illis explicationibus operam dederit, tamen hoc vitium commisisse, ut aestu incipiente Nilum aqua carere diceret. Hoc putare Graeci hominis erat, qui Aegyptum non noverat.

Iam de ventis inter se pugnantibus mihi agendum est. Ad utram explicationem hi pertinuerunt? De hac re dubitatio

¹⁾ Hoc modo Nili inundationes oriri Democritum censuisse ex Diodori bibliotheca (I 89 = Agatharchides Cnidius, cf. E. Schwartz, Pauly Wissowa s. v. Diodoros) perspicitur.

esse non potest. Nam primum tale quid commemorari non potuit nisi in ea explicatione, quae tota in Aegyptiis locis posita erat. Sed clare hoc apparebit, cum deliberaverimus, quales partes illa Typhonis adiutrix in prima explicatione egerit necesse sit. Victoria Typhonis in ea re stat, ut Nilus in mari pereat. Itaque id, quo Nilus in mare depellitur, Typhonis victoriae particeps est. Noti autem venti aquam Nili summa vi in mare detrudunt et ventos septentrionales superant, quibus Nilus afflantibus augetur, a mari quasi retinetur, Aegyptum inundat. Hoc modo Thales Milesius Nili inundationem fieri censuit.¹⁾ Sed quoniam haec inundationis explicatio in compilationem non quadrat, compilatorem Democritum sequi videmus.

Omnia, quae sequuntur, ad primam explicationem pertinent. Osiris Nilus est, deletur mense Athyr h. e. eo tempore, quo flumen in ripas redit. Usque ad finem capitis 39 omnia recte decurrunt. Tota natura simul cum Nilo mori videtur, sacerdotes varia sacra faciunt. Sed illud maxime nostra interest, quod in capite exeunte legimus: πότιμον ὕδωρ et κάρπιμος γῆ miscentur. Unde rem nobis esse cum ea explicatione plane apparet, in qua distinguebatur inter Nilum (πότιμον) et mare, et inter fecundam (κάρπιμος) terram, quae Nilo finitima sita sit, et illam, quae mari adiaceat.

Transeamus ad caput 40. Isis Osirin invenit, auget Horum, ἀναθυμιάσει καὶ δμίχλαις καὶ νέφεσι ῥωννύμενον. Iam Horus non vapores (cf. 366 B) significat, sed ἡ πάντα σψύζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὕρα καὶ κρᾶσις ἀέρος (cf. 366 A) est et ipse vaporibus eget. Ab eo Typho vincitur, neque vero

¹⁾ cf. Diod. (I 38, 2 = Agatharch.): Θαλῆς μὲν οὖν, εἰς τῶν ἐπὶ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς ἐτησίας ἀντιπνέοντας ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ κωλύειν εἰς θάλατταν προχεῖσθαι τὸ ῥεῖμα, καὶ διὰ τοῦτ' αὐτὸν πληρούμενον ἐπικλύζειν ταπεινὴν οὖσαν καὶ πεδιάδα τὴν Αἴγυπτον. cf. Iohann. Lyd. de mens. pg. 99/100 Bekker (= Seneca, cf. Diels: Seneca u. Lucan.): ἐκ τῆς βίας γὰρ, ὥσπερ εἴρηται, τοῦ βορείου πνεύματος ἀνακλῶμενος ὁ ποταμὸς καὶ μᾶλλον ἀνεκχεόμενος πᾶσαν καταλιμνάζει τὴν Αἴγυπτον sequ.

omnino tollitur: οὐ γὰρ ἦν κόσμον εἶναι τέλειον, ἐκλιπόντος καὶ ἀφανισθέντος τοῦ πυρώδους. His verbis ad secundam explicationem redimus, Typho rursus igneum principium est.

Tum sequuntur illa, quae iam Plutarcho attribui. Haec neque a compilatore scripta neque ex eis explicationibus, quas conglutinavit, hausta esse possunt. Hoc primum inde apparet, quod nunc cum ipsius compilatoris explicatione primam illam arte coniunctam et compilatam invenimus. Typho et mare et aestum significat; nam si Horus Nilum imbribus augeat necesse est, Typho aestu Nilum debilitare debet. Osiris Nilus est.

Deinde autem compilator suam ipsius explicationem in dubium vocaret, si ei verba εἰ δὲ ταῦτα μὴ λέγεται παρὰ τὸ εἰκὸς tribuerentur. Denique per omnia capita, quae antecedunt, non id agitur, ut Nilum flumen mari reici, sed recipi contendatur. Ergo Plutarchum hanc notam ex collectaneis suis addidisse et ex eis, quae antecedunt — non apte — complevisse apparet. Idem dicendum est de verbis ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὁμοία sequ., quae ad totam compilationem spectant et ab illis verbis, quae in initio (363 D ὥσπερ Ἕλληνες Κρόνον ἀλληγοροῦσι τὸν χρόνον sequ.) exstant, diiungenda sunt. Nam illa a compilatore ipso profecta sunt, qui ea ex secunda explicatione (in hanc enim solam quadrant) hausit et minus apte cum prima explicatione coniunxit. Nam male comparantur tempus aer ignis cum Nilo, Aegyptia terra, illo mari, in quod Nilus influit, quia quamquam non certus aer, ut exemplo utar, dici potest, sed aer totius mundi, tamen certum mare, certum flumen, certa terra commemorantur. Sed optime haec comparatio in secundam explicationem quadrat.

Nunc quaerendum est, qua ratione compilator in libro suo componeudo usus sit. Compilatio incipit a capite 38. Osiris semper Nilum significat, Isis terram quam Nilus inundat, Nephthys eam, quae mari adiacet, Anubis plantas, quae in litore crescunt. Primam ergo explicationem compilationis fundamentum videmus esse. Atque hoc iam per se veri-

simile erat. Nam et Anubis et Nephthys in secunda explicatione, quae in elementis posita est, locum obtinuisse non possunt, quoniam in illa ἡ γῆ, τὸ ξηρὸν ut principium mundi commemoratur itaque Nephthys (propterea Anubis quoque) simul cum Iside stare non potest. Compiler ergo eam anteposuit, quae maiorem argumenti copiam prae-buit. Quam amplificavit ex eis, quae in secunda explicatione legit. Sed ea tantum mutavit, quae in hac aliter exposita invenit, primam explicationem, quae ei simplicior esse videbatur, variare studuit. Ita factum est, ut ea, quae ex secunda explicatione desumpsit, ita mutaret, ut ad loca Aegyptia, non ad totum mundum spectarent. Hoc loco paulisper subsistamus. Nam etsi de prima explicatione, qualis sit, satis plane agitur (cf. verba Τυφῶνα δὲ τὴν θάλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται καὶ διασπᾶται et omnia ea, quae ipsa compilatione comperimus), de secunda tamen adhuc nihil scimus nisi quid dei significant. Sed quomodo in ea mors Osiridis, proelium inter Typhonem et Horum factum explicata sunt? Ignis aquam, quae in terra est, (Osiridis cum Iside concubitus), superat. Hoc nihil aliud significare potest nisi terram ignis vi aqua privari. Hic ignis omnia exurit, aquam in vapores (h. e. filius Horus, cf. pg. 366 B), deinde in ignem mutat. Nam ignis omnia rursus ignea reddere studet. Postquam aqua deleta est, aer quoque superatur, deinde terra. Tum illa Hera-clitea ἐκπύρωσις fit, deinde nova διακόσμησις. Iam videmus proelium inter ignem et vapores commissum in hac explicatione commemorari non potuisse, quoniam igni nihil resistere potest. Typho ergo omnia vicit. Haec infra satis confirmabuntur. Nunc ad compileris opus redeamus.

Atque tota confusio, quae in eo orta est, inde originem habet, quod Typho primum mare, deinde ignis esse dicitur. Una tantum via compileri patuit: Typho aestum significaret necesse erat. Ita pugnae omnes, quae in fabula commemorantur, ad tempestates translatae sunt. His exemplis rem illustrare mihi liceat. Typho aestum significat. Itaque quoniam

Horus eum vincit, necesse erat, ut in explicatione nomine Hori id appellaretur, quod aestui contrarium esset: ἔστι δ' Ὁρος ἡ πάντα σφζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα καὶ κρᾶσις ἀέρος. Aestum, qui omnia delet et exurit, illud anni tempus sequitur, quo tota Aegyptia terra quasi reviviscit. Eodem modo Nilus aestus impetu superatur et aqua privatur. Sed unde compiler illud inter Typhonem et Horum factum proelium desumpsit? In secunda explicatione eum hoc invenire non potuisse iam vidimus. Neque vero in prima explicatione pugna plantarum contra mare facta commemorari potuit. Ergo tertio quodam auctore compilatorem usum esse concludendum est. Atque de hac re infra rursus mihi agendum erit.

Caput II.

Fabula, quae in Plutarchi libro traditur, quomodo composita sit.

Nunc postquam Plutarchum per capita 32 sequi. unum certum auctorem sequi vidimus, qui duas fabulae explicationes in unam conglutinavit, de ipsis fabulis, quae ad has explicationes pertinuerint, agamus necesse est. Statim quaestio oritur, utrum ea, quam Plutarchus in libro suo exhibet, fabula eadem sit, quae capitibus 32 sequi. explicatur, necne. Atque quoniam illas explicationes valde inter se diversas esse apparuit, fabulas quoque, quae eis explicantur, non easdem fuisse expectandum est. Itaque ut sit ea fabulae narratio, quam Plutarchus affert, eiusdem viri, qui compilationem fecit, haec quoque ex variis fabulae versionibus (scil. eis duabus, quae ad illas explicationes pertinent) conglutinata sit necesse est. Atque si hoc eruere continget, Plutarchum illam narrationem ex eodem libro, unde explicationes, desumpsisse sequetur.

Incipiamus ergo a capite 12. Statim capite ineunte Plutarchus in fabula narranda nonnulla se omissurum esse dicit. Qua in re quomodo egerit, perspicere non poterimus, sed hoc tantum constat, eum omisisse τὸ περὶ τὸν Ὀρου διαμελισμὸν καὶ τὸν Ἰσίδος ἀποκεφαλισμὸν (cf. capitis 20 initium). Quid hoc significet, postea videbimus, nunc ad ipsam fabulam aggrediamur. Rhea cum Saturno clam concumbit, Sol, qui omnia videt, hoc animadvertit et ne mense neve anno illa pariat se impediturum esse iurat. Mercurius deam amat, cum Rhea concumbit. Deinde cum Luna (quo in sidere Aegyptii Mer-

curium collocant cf. 367 E) ludens postquam vicit, quinque dies consecutus est, quos 360 anni diebus adiunxit ita, ut Rhea Solis exsecrationem effugeret et illis quinque diebus quinque liberos pareret, primum Osirin, mundi dominum. Quidam dicunt Saturnum eum Pamyli colendum tradidisse, qui ei Pamyliam instituit (hic est ille locus, qui in pg. 365 B laudatur). Deinde Arueris-Apollo-Horus maior nascitur, tertio die Typho neque suo tempore neque rite, sed ex latere deae exsiliens, quarto die Isis ἐν πανύγροις, quinto Nephthys-Τελευτή-Ἀφροδίτη-Νίκη. Ex Sole nati sunt Osiris et Arueris, ex Mercurio Isis, ex Saturno Typho et Nephthys, quam ob rem reges tertium diem nefastum esse putant. Typho Nephthynem in matrimonium ducit, Isis et Osiris iam in utero materno concumbunt. Nonnulli dicunt Aruerin hoc modo ortum esse et ab Aegyptiis Horum maiorem, a Graecis Apollinem appellari.

Iam subsistamus et totum caput accuratius tractemus. Nam summae difficultates ei superandae sunt, qui hoc caput intellegere studet. Multa sunt, in quibus offendimus. Haec enarrare mihi liceat. Primum non intellegimus, quam ob rem Sol illam exsecrationem proferat, deinde quam ob rem Mercurius, ut deae, postquam Saturno nupsit, auxilium ferat, cum illa concumbat. Tum nescimus et enucleare opus est, quomodo factum sit, ut varii auctores variaque deorum nomina laudentur. Praeterea in eo verba dissentiunt, quod primum a Saturno Osirin Pamyli traditum esse, deinde Osirin Solis filium esse narratur. Deinde fieri non potest, ut Horus maior exstet, nisi Horus minor quoque commemoratur. Deinde quid sibi vult illud μὴ καὶ de Typhone dictum et illud ἐν πανύγροις de Iside dictum? Deinde disserendum erit, quo iure Graeca illa nomina deis Aegyptiis data sint, maxime cur Nephthys Ἀφροδίτη nominetur. Praeterea miramur, quod Sol suos ipsius liberos nasci non vult (cf. εἶναι δὲ τὸν μὲν Ὅσιριν ἐξ Ἥλιου καὶ τὸν Ἀρούρηιν, 355 F). Tum vox διό ita, ut videmus, posita omnino sensu caret. Denique videamus, quomodo fieri potuerit, ut Arueris, Rheae filius et ante Isidem natus, Isidis filius

appellaretur (in fine capitis). Quae omnes difficultates et offensiones, quae sane gravissimae sunt, tollantur necesse est et eas paginis, quae sequuntur, sublaturum me esse spero.

— Atque primum quidem de voce illa διὸ agamus. Ex Sole orti sunt Osiris et Arueris, ex Mercurio Isis, ex Saturno Typho et Nephthys, propterea tertius ille dies nefastus habetur. Cur? An quia Typho Saturni filius est? Tum quintus quoque dies, quo Nephthys, Saturni filia, orta est, nefastus esse debuit. Ad hanc quaestionem solvendam illud μὴ καίρῳ, quod iam commemoravi, nobis adhibendum est. Narratum erat primum Saturnum cum Rhea concubuisse, deinde Mercurium, nati sunt filii filiaeque et Solis et Saturni et Mercurii, atque primum quidem duo filii, quos Solis esse postea additur, ergo Sol primus cum Rhea concubuit, deinde Saturnus, ut narratum erat. Ergo eius liberos ante Mercurii, qui tertius cum Rhea concubuit, filiam nasci, i. e. Aruerin Typhonem sequi exspectandum est. Atque profecto hoc fieri videmus, attamen μὴ καίρῳ appositum est, ergo is, qui hoc scripsit, Saturnum post Mercurium cum Rhea concubentem fecit itaque Typhonem post Isin nasci debuisse putavit. Eadem de causa illud διὸ positum esse puto: Propterea, quod Typho tertio die ordinem nascentium interruptit, hic dies nefastus habetur. Sed ita solum illud διὸ explicavi, sed quae vera causa sit, cur ille dies nefastus habeatur, infra videbimus.

Iam igitur apparet finem capitis ad initium non quadrare, in fine alium eorum, quibuscum Rhea concubuit, ordinem dici atque capite ineunte. Statim graviora argumenta nobis occurrent, quibus caput ex duabus narrationibus conglutinatum esse confirmabitur. Quid tandem sibi vult illud ἐν πανύργοις? Isis in humore nascitur. Supra (pg. 14) verba ἐνιοὶ δὲ Παμόλην et quae sequuntur usque ad Φαλληφορίοις ἐοικυῖαν ad secundam explicationem pertinere vidimus, in qua dei principia mundi sunt. Itaque nos alia quoque illius libri, de quo modo egimus, vestigia in hoc capite inventuros esse exspectare possumus. Neque haec spes nos fallit. Iam illud ἐν πανύργοις

talía vestigia indicat, nam Isis, quam in illa explicatione terram esse vidimus, in aqua nascitur, h. e. aquae pars in terram mutatur, terra in aqua residit. Memineris illud Heracliti fragmentum (31, Diels) θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἡμῖν γῆ. Atque nunc totum liberorum nascentium ordinem contemplemur. Statim hanc fabulae partem ad illam explicationem pertinere apparet. Primus ergo Osiris nascitur, h. e. aqua oritur, tum Arueris-Horus maior, h. e. aer, qui ex aquae parte formatur, deinde Typho, i. e. ignis, in quem aeris pars vertitur, tum Isis, i. e. terra, quae in ipsa aqua (ἐν πανύγροισ) residit. Sed quid deinde? Nephthynem omnino non commemorari in secunda explicatione supra probavi. Tamen ea in quinto die posita est? Sed Nephthyni omnino hic locus non est. Nam ex initio capitis post Solis liberos Saturni liberos nasci debere apparet. Accedit, quod Horo maiori Horus minor opponendus erat. Ubi est? Filius Osiridis et Isidis, Horus, in capite 18 commemoratur. Ubi antea illum omnino natum esse comperimus? In fine capitis Osirin et Isin iam in utero matris concubuisse legimus. ἔνιοι δὲ φασὶ καὶ τὸν Ἀρούρηιν οὕτω γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι πρεσβύτερον Ὀρον ὑπ' Αἰγυπτίων, Ἀπόλλωνα δ' ὑφ' Ἑλλήνων. Sed Horus maior Rheae filius est, Osiridis et Isidis filius Horus minor appellatur. Qui haec confusio facta est? Priusquam hanc quaestionem solvere poterimus, ad ea, quae sequuntur, nobis transeundum est. Iam supra, cum de Osiridis et Nephthynis adulterio egimus (pg. 16), melilotum Typhoni indicium adulterii fuisse vidimus, in ipsa fabulae narratione (356 F) Isidi indicium est. Isis ad mare venit (φράσαι τὸ στόμα, δι' οὗ τὸ ἀγγεῖον οἱ φίλοι τοῦ Τυφῶνος εἰς τὴν θάλασσαν ἔωσαν) et ibi ex meliloto adulterium, quod Osiris cum sorore commisit, intellegit. Ergo hoc quoque loco Nephthynem terram mari finitimam esse, quae in prima quam tractavimus explicatione erat, videmus, praesertim cum hunc locum in illa laudatum invenerimus. Sed aliud huius explicationis vestigium in ipso capite 12 nobis occurrit. Ibi Nephthys Venus est, i. e. ex mari nata est. Sed haec expli-

catio omnino non ad illum nascentium ordinem quadrat, quem summi momenti esse auctorem putasse ex verbis ἐν καιρῷ et διὸ elucet. Qui ordo ut ad primam explicationem pertineat, omni sensu caret: Primum Nilus oritur, deinde quid? Duo Hori in illa explicatione omnino non commemorantur. Deinde mare, deinde terra, quae Nilo finitima est, deinde ea, quae mari adiacet. Ergo ordo si eum primae explicationi attribuimus, absurdus fit, sed optime eum ad secundam quadrare vidimus. Plane apparet Nephthynem hinc depellendam et Horum minorem ibi collocandum esse. Isis et Osiris iam nati sunt. Quoniam in matris utero concubuerunt, fieri potuit, ut quinto illo die eorum filius, Horus minor, nasceretur. Hic est ille Horus, qui postea commemoratur. Atque quomodo duo Hori inter se confusi sint, simul apparet. Compiler pro Horo minore maiorem posuit, quia duo Hori in compilationem suam non quadrabant. Nam quintum diem Nephthys iam obtinuit. Ita hanc quoque difficultatem solvisse mihi videor. Nunc ad aliam transeamus.

Rhea cum Saturno concumbit. Sol irascitur. Cur tandem? In secunda explicatione omnia deorum nomina allegorice usurpata esse supra vidimus et illam capitis 32 partem, in qua hoc luce clarius dicitur, illi attribuimus (ὥσπερ "Ἕλληνες Κρόνον ἀλληγοροῦσι τὸν χρόνον, "Ἡραν δὲ τὸν ἀέρα sequ.). Κρόνος est. Neque minus hoc constat: si quis ex Rhea principia mundi orientia facit, Rhea materia, ὕλη, sit necesse est, ex qua principia formantur. Atque quid Solis nomine significatur? Iam semel nobis in secunda explicatione Heracliti philosophia occurrit (pg. 13), qua nunc quoque nobis ad caput intellegendum opus est. Primo omnia ignea erant, deinde ignis pars per aerem in aquam versa est, pars aquae in aerem, sed igneus orbis, qui mundum circumdat, irascitur quasi illi materiae, ex qua principia orta sunt, et omnia in ignem rursus mutare studet. Sol ille orbis igneus est, qui restat et qui omnia, quae nascuntur se invito, paulatim in primam ignis formam reddit, irascitur, quod Rhea cum Saturno concumbit, quod ex materia,

quae ab igne se dissolvit, temporis spatio (Κρόνος = χρόνος) principia oriuntur. Ita quamquam compiler in eis capitibus, de quibus egimus, nobis explicationem huius partis fabulae non servavit (nam, quia primam explicationem fundamentum quasi habuit, secundam ita integram, ut primam, in compilationem non recepit), eam nunc restituere nos posse puto. Propterea et fabulam et eius explicationem hoc loco componere mihi liceat.

Rhea cum Saturno concumbit, Sol
irascitur.

Primum Osiris nascitur
deinde Horus maior
tum Typho
tum Isis
denique Horus minor

Ab igne pars se dissolvit, per aerem

in aquam vertitur
pars aquae in aerem
pars aeris in ignem siderum
in aqua terra residit
aer cum statim magis magisque in
ignem verti incipiat, vaporibus
suppleatur necesse est.

Etiam hoc nunc intellegimus, quid sibi velint verba μή κατὰ χώραν, ἀλλ' ἀναρρήξαντα πληγῇ διὰ τῆς πλευράς Typhonem exsiluisse. Nam ad terrae notionem nihil pertinet nisi terra cum aqua, quae in ea est, et aer, qui eam circumdat.

Sol ergo in ipsius liberos exsecrationem illam non tulit, nam omnes quattuor liberos (Horo minore excepto) Saturni unius sunt et Mercurius nihil aliud significat nisi τὸν λόγον, rationem qua mundus omnino oriri potuit. Propterea verba ἐρῶντα τῆς θεοῦ συνελθεῖν, εἴτα compileri attribuenta sunt, qui ea addidit, quod initium fabulae cum ea sententia, quam alibi invenit, coniungere voluit, dico verba: εἶναι δὲ τὸν μὲν Ὅσιριν ἐξ Ἡλίου καὶ τὸν Ἀρούηριν, ἐκ δ' Ἑρμοῦ τὴν Ἴσιν, ἐκ δὲ τοῦ Κρόνου τὸν Τυφῶνα καὶ τὴν Νέφθυν. Ad idem compileris consilium referendum est, quod illas voces μή καιρῷ et διὸ falso positas legimus. Nam vera causa qua adducti Aegyptii reges tertium diem nefastum habent, ea est, quod eo die Typho, deorum inimicus, natus est. Neque minus nunc apparet, quomodo factum sit, ut complures auctores laudarentur, scilicet primum, quia cum compilatione nobis res est, deinde autem in ipsa illa secunda explicatione voce ἐνιοι alteram fa-

bulae versionem allatam invenimus: ἔνιοι δὲ Παμύλην τινὰ λέγουσιν sequi.¹⁾

Quibus offensionibus sublati ad caput 13 transeamus. Agitur in eo de Osiridis vita et rebus gestis. Osiris cum Graeco Baccho confertur. Ita, ut ille, totum orbem peragrat et vitam moresque hominum humaniores reddit. Isis domi relictā regnum curat et id ita diligenter, ut Typho, qui iam ut Osiridis hostis exstat, nihil efficere possit. Sed ubi Osiris recessit, insidias ei parat. Cum 72 viris ad Osirin delendum coniurat. Cuius corpus clam metitur, ad eius magnitudinem arcam praeclaram facit, hanc in convivio illi se daturum esse promittit, qui eam corpore expleverit. Nulli nisi Osiridi arca apta est. Sed vix in ea iacet, cum coniurati operculum arcae imponunt, obfirmant, totam arcam ad flumen deferunt et in mare per Tanitium ostium, quod nunc quoque Aegyptiis ea de causa odio est, demittunt. Quod accidit mense Athyr, idibus novembribus (cf. Parthey). Osiris per 28 annos rex fuerat, sed alii (ἔνιοι) dicunt eum vixisse tantum temporis, non regnasse.

¹⁾ Graecos ad talem fabulae explicationem, qualem modo deteximus, inclinos fuisse inde sequitur, quod in Plutarchi libro, qui de defectu oraculorum inscribitur, plane similem quinque illorum deorum explicationem invenimus (pg. 429 F) καὶ τὴν Ῥέαν Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι πέντε θεοῦς τεκεῖν, αἰνιττόμενοι τὴν ἐκ μιᾶς ὅλης τῶν πέντε κόσμων γένεσιν. Ex una eademque materia πέντε κόσμοι oriuntur. Atque cum hic locus in capite insit, in quo de pentade agitur, nobis concludendam esse puto hanc doctrinam Pythagoreorum esse. Inspiciamus ergo fragmenta Pythagoreorum. In Philolai fragmentis (Diels A 16) legimus: Φ. πῦρ ἐν μέσῳ περὶ τὸ κέντρον ὅπερ ἐστὶ τὸ παντὸς καλεῖ καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν βωμόν τε καὶ συνοχὴν καὶ μέτρον φύσεως. καὶ πάλιν πῦρ ἕτερον ἀνωτάτω τὸ περιέχον. πρῶτον δὲ εἶναι φύσει τὸ μέσον, περὶ δὲ τοῦτο δέκα σώματα θεῖα χορεύειν, τοὺς εἴς τε πλανήτας (I), μεθ' οὗς ἥλιον (II), ὑφ' ἧς σελήνην (III), ὑφ' ἧς τὴν γῆν (IV), ὑφ' ἧς τὴν ἀντίχθονα (V), μεθ' ἧς σύμπαντα τὸ πῦρ ἐστὶ τὸ περὶ τὰ κέντρα τὰ εἰς ἐπέχον. Primus ergo ille ignis exstitit, qui in medio mundo est et cui Rheae nomen attribuendum est. Ex illo omnia, quae sunt, orta sunt, illi quinque κόσμοι 1) πλανήτες, 2) ἥλιος, 3) σελήνη, 4) γῆ, 5) ἀντίχθων. Illi Rheae liberorum nominibus appellandi sunt.

Hoc argumentum capitis est. Rursus illi ἔνιοι laudantur. Ceterum per totum caput conexus integer est. Atque cui explicationi hoc caput tribuendum est? Dubitatio esse non potest. Nam primum hic illam Aethiopiae reginam reperimus, de qua supra (pg. 18) egi et quam ad primam explicationem pertinere probavi. Accedit, quod Osirin in mare deiectum esse audimus. Et quis eum deiecit? Non Typho, sed Typhonis amici,¹⁾ scilicet Typho mare, Osiris Nilum flumen est. Ad hoc optime quadrat, quod Osirin idibus novembribus diem supremum obisse legimus. Nam mense Athyr Nili inundationem finitam esse in ipsa prima explicatione traditum fuisse vidimus: διὸ μὴνὸς Ἀθὺρ ἀφανισθῆναι τὸν Ὅσιριν λέγουσιν, ὅτε τῶν ἐτησίων ἀπολειπόντων παντάπασιν ὁ μὲν Νεῖλος ὑπονοστέι, γυμνοῦται δὲ ἡ χώρα (pg. 366 E). Cum prima explicatione nobis rem esse apparet. Sed ne hoc quidem loco eam solam detegimus, sed iterum cum altera contaminatam. Nam cum legamus: ἔνιοι δὲ βεβιωκέναι φασὶν αὐτόν, οὐ βεβασιλευκέναι χρόνον τοσοῦτον (i. e. 28 annos), nos dubitare non posse puto, quin voce ἔνιοι secunda explicatio laudetur. Nam quod in prima explicatione Osirin 28 annos regnasse narratur, hoc ad Nilum spectat, quod flumen paulatim magis inundat itaque ultimo demum inundationis spatio summam aquae vim assequitur. Sed in altera illa explicatione Osiris statim ubi natus est κύριος πάντων (pg. 355 E) est neque inter Osiridis regnum et vitae spatium distinguitur. Hoc ad id referendum est, quod Osiris in hac explicatione principium umidum significat, quod postquam ortum est iam viget neque postea augetur. Ergo Osiridis regnum tot, quot vita, annos durasse debet.

Osiris mortuus est. Quid nunc? Iam supra (pg. 20) in secunda explicatione neque Osirin ab Iside reduci neque

¹⁾ cf. τοὺς δὲ συνόντας ἐπιδραμόντας ἐπιρράξει τὸ πῶμα καὶ . . ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἔξευγκεῖν καὶ μεθεῖναι διὰ τοῦ Τανιτικοῦ στόματος εἰς τὴν θάλασσαν (pg. 356 C). τὰ δὲ τυχεῖν ἑωρακότα (scil. τὰ παιδάκια) καὶ φράσαι τὸ στόμα, δι' οὗ τὸ ἀγγεῖον οἱ φίλοι τοῦ Τυφῶνος εἰς τὴν θάλασσαν ἔωσαν (356 E).

proelia inter Horum et Typhonem committi, immo omnia a Typhone superari (h. e. totum mundum in ignem reverti) comprobavi. Hoc fabula ipsa confirmari videbimus, nam inde a capite 14 nulla alia secundae explicationis vestigia per totam narrationem nobis occurrent.

Nunc ad caput, quod sequitur, transeamus. Panes et Satyri (cf. illum Osirin-Bacchum capitis 12: *ὄθεν Ἑλλησι δόξασι Διονύσω τὸν αὐτὸν εἶναι*), qui circa Chemmim incolunt, morte Osiridis animadversa summo terrore afficiuntur. Isis quoque coniugis mortem αἰσθεταί, intellegit. Copti est, ibi luget. Deinde ubique coniugem quaerit, omnes, qui ei obviam veniunt, interrogat, denique liberi ei ostium monstrant, per quod coniurati Osirin in mare demiserunt. Ergo Isis iam ad mare pervenit. Ibi Osiridis cum Nephthyne adulterium ex melilotina corona, quam Osiris reliquerat, intellegit, filium Anubin, qui statim a Nephthyne propter Typhonis timorem expositus erat, quaerit, canibus adiuvantibus invenit, educat, comitem habet.

Isis coniugis morte animadversa corpus quaerere statim incipit, omnes, qui ei occurrunt, interrogat, denique a liberis certior fit, ubi Osiris in mare deiectus sit. Apparet igitur eam non esse deam, quae omnia videt et audit. Cum Osiris prope mare superatur, Isis Panes Satyri in Aegypto superiore sunt (duo illa loca, quae commemorantur, Coptus et Chemmis, non multum inter se distant). Qui fit, ut et illi et dea Osirin in mare detrusum esse sciant? Inde fit, quod Osiris Nilus est, quod per totam Aegyptum aqua Nili in mare deiecti deest. Atque Osiridis adulterium inde ortum est, quod ὑπερβαλὼν καὶ πλεονάσας ὁ Νεῖλος ἐπέκεινα ἐπλησίασε τοῖς ἔσχατεῦσιν (pg. 366 B). Nam Νέφθυν καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης. διὸ καὶ Τελευτὴν ἐπονομάζουσι τὴν Νέφθυν καὶ Τυφῶνι δὲ συνοικεῖν λέγουσιν (366 B). Ergo Osiris cum Iside relictā Typhonis convivio prope mare adesset, errore adductus cum Nephthyne concubuit, h. e. Nilus flumen terram quoque eam, quae mari adiacet, inundavit. Ita Anubis oritur, cuius nomine eas plantas significandas esse

ex prima explicatione intelleximus, quae prope mare crescunt, ubi Nilus supra fines, quos fecundos reddere solet, inundavit.

Apparet igitur hoc quoque caput ad illam explicationem pertinere. Nam Osiris Nilum significat, Typho mare, Isis terram Nilo finitimam (Aegyptum superiorem), Nephthys eam, quae mari adiacet (Aegyptum inferiorem), Anubis plantas, quae in hac crescunt.

Capita, quae sequuntur (15, 16, 17), arte inter se cohaerent. Agitur enim in eis de itineribus, quae Isis arcae inveniendae causa facit. Ex Anubide certior fit corpus coniugis ad Byblum (Syriae oppidum) appulsum esse ibique ericae insedissee, quae statim arbor pulcherrima et maxima facta sit arcamque in se abdiderit.

Amicos Typhonis Osirin per ostium Taniticum in mare detrusisse et Aethiopiae reginam ad hoc perficiendum adiutricem fuisse supra vidimus. Ergo mirum esse non potest, quod in fabulae narratione arcam secundum litus Syriacum vectam ibique appulsam esse audimus. Nam illud ostium ad Syriam spectat et Nili aqua ventis ex Aethiopia flantibus in mare effusa eundem cursum atque arca tenet. Quod iter arca fecerit, plantis indicatur, quae oriuntur, ubi Nili aqua terram mari finitimam contingit. Erica quoque Nili aqua irrigata maxima fit.

Pergamus nunc narrationem fabulae exponere. Rex ericae magnitudinem miratus eam domui suae infigit. Isis hoc πνεύματι δαιμονίῳ φήμης comperit, Byblum venit ibique cum a regina filii nutrix facta sit, omnia ea facit, quae Cererem, cum filiam quaereret, gessisse Ovidius (Fast. IV 503 sequ.) narrat. Atque locos conferre mihi liceat:

Hic primum sedit gelido maestissima saxo: καὶ καθίσασαν ἐπὶ κρήνης ταπεινὴν καὶ δεδακρυμένην. Tandem in domum recipitur.

Noctis erat medium, placidique silentia somni:

Triptoleмум gremio sustulit illa suo,

Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit,

Carmina mortali non referenda sono,

Inque foco corpus pueri vivente favilla

Obruit, humanum purget ut ignis onus.

Excutitur somno stulte pia mater, et amens

„Quid facis“? exclamat, membraque ab igne rapit

... νύκτωρ δὲ περικαίειν τὰ θνητὰ τοῦ σώματος αὐτὴν δὲ

θρηνεῖν, ἄχρι οὗ τὴν βασίλισσαν παραφυλάξασαν καὶ ἐκκραγοῦσαν,

ὥς εἶδε περικαίμενον τὸ βρέφος, ἀφελῆσθαι τὴν ἀθανασίαν αὐτοῦ.

Apparet igitur Isidis errores cum Cereris comparari. Ceres filiam quaerit, Isis coniugem.¹⁾ Propterea eius errores simili modo describuntur, quo Cererem mundum peragrasse narrabatur.

Atque nunc primum quaestio oritur, unde Isis scire potuerit, quo arca ablata sit. Πνεύματι δαιμονίῳ φήμης hoc comperit; quam ob rem non ab Anubide, qui cetera omnia cum dea communicavit? Quia Anubis eas plantas significat, quibus Nili iter secundum litus factum indicatur. Postquam erica caesa arca in regis aedes illata est, nullae plantae iam exsistere possunt, quibus Isis, ubi Osiris sit, intellegat. Ergo hinc quoque gravissimum argumentum afferre licet, quo Anubidis nomine in prima explicatione plantas appellandas esse comprobetur.

Isis arcam postquam nacta est, in nave collocat, vento adiuvente redit [ad Taniticum ostium eam pervenire consentaneum est]. Qualis ille ventus fuerit, ex capitis fine cognoscimus. Phaedrus flumen, quia ventum nimis vehementem gignit (cf. pg. 15), ab Iside deletur. Neque ventus ille matutinus Isidis itineri adversus est, sed ea ipsa de causa, quod acrior est, Phaedrus punitur. Hic est ergo ille ventus, quo Nili aqua, ne in mare influat, impeditur, illi etesiae, quibus in Nili ostium infantibus inundationem fieri Thales explicat.

Nunc Isis Osiridem repperit, Nilus Aegyptum rursus inundare potest, rursus summam aquae vim habebit (Osiris

¹⁾ Eodem modo Osirin cum Graeco Baccho conferri supra vidimus, cf. pg. 356 A B D (Panet et Satyri). Diod. I 13, 5 sequ. (ex Hecataeo): καὶ τὸν μὲν Ὅσιριν μεθερμηνεύμενον εἶναι Διόνυσον, τὴν δὲ Ἴσιν ἔγγιστά πῶς Δῆμητραν. Hoc iam indicat capita 13, 14, 15, 16 unius eiusdemque auctoris esse.

regnabit), atque tota fabula denuo incipit. Flumen mense novembri rursus ventis in Aethiopia orientibus in mare depelletur, postquam etesiae flare desierunt, etesiae rursus illos ventos superabunt etc. Qua in explicatione proelium inter Typhonem et Horum, inter mare et plantas superioris Aegypti, committi non posse supra vidimus, ergo illa fabula, quae ad primam explicationem pertinet, iam finita est. Hoc recte iudicatum esse inde quoque sequitur, quod a capite 18 nulla alia huius explicationis vestigia exstare videbimus.

Pergamus igitur. Postquam per unum caput (17) de regis filio maiore, quem Isis secum habebat, actum et narratum est, quomodo occiderit, inde a capite 18 ea traduntur, quae Osiridis corpore reducto in Aegypto facta sint. Isis ad filium Horum, qui Buti educatur, proficiscitur arca alicubi relicta. Typho noctu venatus luna lucente eam invenit, corpus Osiridis recognoscit et in quattuordecim partes discerpit. Isis postquam de hac re certior facta est (πυθομένην), per paludes vecta omnes phallo excepto partes conquirat, nam hic in flumen iniectus a piscibus comesus erat. Isis phallum fingit eumque sacrum habere Aegyptios iubet.

Nisi iam sciremus post caput 17 narrationem neque quae ad primam neque quae ad secundam explicationem pertinere possit exspectandam esse, hoc ipso capite 18 doceremur cum ea fabula nobis rem esse, quae plane diversae explicationi tribuenda sit. Quid ergo? Isis arca relicta ad filium proficiscitur. Nonne hoc valde mirum est? Quam ob rem corpus coniugis, quod ne quaereret, talibus laboribus et erroribus, quales antea vidimus, non deterrita est, deseruit? Hoc iam per se incredibile est. Accedit, quod de Horo, qui Buti educatur, adhuc nihil dictum est, quod de piscibus phagro et oxyrhyncho plane contrarium narratur eis, quae in septimo capite legimus,¹⁾ denique quod aliter explicatur quid phallo significetur, atque in capite 36 vidimus. Iam apparet nobis

¹⁾ Nam hic eos pisces Aegyptiis odio esse, illic eos ab Aegyptiis coli contendere videmus.

cum alia fabulae explicatione rem esse, neque qualis ea sit, dubium esse potest. Nam et ex numero¹⁾ partium, in quas Osiridis corpus a Typhone dissecatur, et inde, quod Isis per paludes vehitur, ut partes colligat, sequitur hanc narrationem ad eam explicationem pertinere, in qua Osiris luna, Typho sol est. Luna a sole in quattuordecim partes discerpitur, h. e. luna plena (propterea Typhonem πρὸς σελήνην venatum esse narratur) per quattuordecim dies minuitur. Atque Isis per paludes vecta partes colligit, quia luna eis vaporibus, qui ex paludibus oriuntur, ali dicitur, sol autem marinis vaporibus. Hanc doctrinam in Stoicorum fragmentis saepius invenimus. Hos locos afferre mihi liceat: ἥλιος καὶ ὑπὸ τῶν ποιητῶν ἡ-έλιος, παρὰ τὴν ἄλλα ἄλιος καὶ ἥλιος. ἔστι γὰρ κατὰ Ζήνωνα τὸν Στωϊκὸν ἀναμμα νοερὸν ἐκ τοῦ θαλάσσης (ἀναθυμιάματος)²⁾, aut: Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastus indigere nec permanere nullo modo posse, nisi alitur: ali autem solem lunam reliqua astra aquis, alia dulcibus, alia marinis? eamque causam Cleanthes adfert, cur se sol referat nec longius progrediatur solstitiali orbi itemque brumali, ne longius discedat a cibo.³⁾ Neque minus nunc demum apparet, quomodo

¹⁾ Diodorus (I 21 — Hecat.) alium numerum partium tradit (scil. 26) et Typhonem has partes coniuratis distribuisse narrat. Isis eas repperit et singulis Aegypti gentibus dispertitur (cf. Plut. 358 A) Conferendus est Horap. I 10: ... οἰκουμένην (scil. γράφοντες) ... κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι ... ἐπειδὴ ἐβδομήκοντα δύο χώρας τὰς ἀρχαίας φασὶ τῆς οἰκουμένης εἶναι· τούτους δὲ τρεφομένους ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ ἐπιμελείας τυγχάνοντας, οὐ καθάπερ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τελευτᾷ, οὕτω καὶ τούτους, ἀλλὰ μέρος αὐτῶν καθ' ἐκάστην ἡμέραν νεκρούμενον, ὑπὸ τῶν ἱερέων θάπτεσθαι, τοῦ λοιποῦ σώματος ἐν τῇ κατὰ φύσιν ὄντος· ἕως δ' ἂν αἱ ἐβδομήκοντα καὶ δύο πληρωθῶσιν ἡμέραι, τότε ὅλος ἀποθνήσκει. Atque in Plutarchi libro (356 B) legimus: Τυφῶνα ... συνωμότας ἄνδρας ἐβδομήκοντα καὶ δύο πεποιμένον. Itaque hanc quoque fabulae versionem exstitisse suspicor: Typho cum 72 viris coniurat, Osirin in 72 partes diripit, singulas coniuratis distribuit. Typhone victo Isis eas repperit et 72 gentibus dispertitur. Cynocephalus ergo Osiridis morientis quasi imago esse videtur.

²⁾ cf. Arnimii fragm. stoic. I 121.

³⁾ Cic. de nat. deor. III 37.

ille ineptus conexus, qui capite ineunte exstat, oriri potuerit. Nam in hoc capite mors Osiridis alio modo narratur neque omnino Typho, postquam Osirin semel superavit, iterum ei vim attulit. Sed ita, ut in capite 18 narratur, is mortem Osiridis describere debuit, qui Typhonem esse solem, Osirin lunam contendit. Eodem modo is, qui primam explicationem fecit, Osirin in mare deiectum esse tradidit, quoniam eius sententia Typho mare erat, Osiris Nilus, qui in mare influit. Atque explicatio, quae ad caput 18 pertinet, mox nobis occurret.

Iam ad proelium inter Horum et Typhonem factum pervenimus. Osiris filium ad pugnam adhortatur. Proelium committitur, Horus hostem vincit, Typho ad Isin vinctus ducitur, sed ab illa vinculis liberatur. Horus irascitur, matri diadema eripit, Mercurius aliud ei imponit. Typho duabus aliis pugnis vincitur, et quae sequuntur.

Ergo iam intellegimus, unde compilerator duarum illarum explicationum, de quibus egi, illud proelium inter Typhonem et Horum commissum desumpserit (cf. pg. 21), quod neque in prima neque in altera explicatione invenire potuit, scilicet ex hac fabulae narratione. Nam haec unius eiusdemque compileratoris est, qui postquam fabulas, quae ad duas illas explicationes pertinent, eodem modo quo ipsas explicationes conglutinavit, ex alio fonte hausta ea addidit, quae inde a capite 18 legimus et quae cum narratione praecedente illo inepto conexu arte coniuncta esse vidimus.

Sed ubi finis eius fabulae, quae ad secundam explicationem pertinet, exstat? Qui adhuc desideratur. Nam supra (pg. 20 et 29/30) dixi secundam explicationem talem esse, in qua Typho omnia vincat, et Osiridem et Isidem et Horum. Sed Plutarchus in capite 20 ea affert, quae propterea omisisse se dicit, quia a deorum natura aliena¹⁾ esse sibi viderentur: ταῦτα

¹⁾ ὅτι μὲν οὖν, εἰ ταῦτα περὶ τῆς μακαρίας καὶ ἀφθάρτου φύσεως, καθ' ἣν μάλιστα νοεῖται τὸ θεῖον, ὡς ἀληθῶςπραχθέντα καὶ συμπεσόντα δοξάζουσι καὶ λέγουσιν, „ἀποπτύσαι δεῖ καὶ καθήρασθαι στόμα“ κατ' Αἰσχύλον, οὐδὲν δεῖ λέγειν πρὸς σέ.

σχεδόν ἐστι τοῦ μύθου τὰ κεφάλαια τῶν δυσφημοτάτων ἔξαι-
ρεθέντων, οἷόν ἐστι τὸ περὶ τὸν Ὀρου διαμελισμὸν καὶ τὸν
Ἰσιδος ἀποκεφαλισμόν. Atque in his verbis finem eius fabulae,
quae ad secundam explicationem pertinet, quaerendum nobis
esse suspicor. Postquam Osiris a Typhone necatus est, et
Horus et Isis delentur, h. e. aqua quae in terra est in vapores
versa hi quoque delentur, in ignem mutantur, itemque terra.
Tum Heraclitea illa ἐκπύρωσις facta est et nova διακόσμησις
incipit.

Caput III.

De ceteris, quae ad hanc fabulae narrationem pertinuerint, explicationibus.

Atque nunc quidem quoniam compilatorem fabulae non ex duobus tantum, sed inde a capite 18 ex alio quoque fonte hausisse constat, librum Plutarchi perscrutemur, an eam, quae ad capita 18 et 19 pertinet, explicationem invenire possimus. Optime accidit, quod eo ipso loco, quo antea substitimus, talis explicatio incipit. Nam illis duabus, de quibus egi, explicationibus finitis nova additur, in qua Typho sol, Osiris luna est. Hic idem ordo est, quem in fabulae narratione animadvertimus. Ibi enim in capitibus 18 et 19 postquam eae fabulae, quae ad duas illas explicationes pertinent, artissime inter se commixtae narratae sunt, inepto conexu facto ea adiungitur, quae sideream explicationem spectat, hic explicationes priores eam sequi videmus, quae ad capita 18 et 19 pertinet. Neque conexus illo minus ineptus est: οἱ δὲ τοῖσδε τοῖς φυσικοῖς καὶ τῶν ἀπ' ἀστρολογίας μαθηματικῶν ἔνια μὴ γνύντες Τυφῶνα μὲν οἶονται τὸν ἡλιακὸν κόσμον, Ὅσιριν δὲ τὸν σεληνιακὸν λέγεσθαι, quasi ea, quae sequuntur et explicationem plane aliam indicant, ad ea, quae praecedunt, tantum supplenda dicantur. Quem conexum non ab ipso Plutarcho factum esse posse statim apparebit. Nam hanc explicationem saepius ad priores spectare, compilatorem quam maxime operam dedisse, ut eam et cum prima et cum secunda artissime coniungeret, elucebit. Eodem modo atque in capitibus, quae praecedunt, argumenta explicationis comprobandae causa afferuntur et qua

causa adducti homines Typhonis nomine solem, Osiridis lunam significandam esse crediderint, commemoratur: τὴν μὲν γὰρ σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν εὐμενὴ καὶ γοναῖς ζῶων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι· τὸν δ' ἥλιον ἀκράτῃ πυρὶ καὶ σκληρῷ καταθάλλειν τε καὶ καταυαίνειν τὰ φυόμενα καὶ τεθηλότα, καὶ τὸ πολὺ μέρος τῆς γῆς παντάπασιν ὑπὸ φλογμοῦ ποιεῖν ἀοίκητον καὶ κατακρατεῖν πολλαχοῦ καὶ τῆς σελήνης. Quid? Cur tandem Osirin lunam esse, Typhonem solem putemus? An quia Typhonis nomine principium sterile significandum est, Osiridis nomine fecundum? Sed tum aliae quoque explicationes eodem iure stant neque nova opus est. Sed vera causa haec est. Quod in natura eandem pugnam exstare viderunt, quam inter Osirin et Typhonem committi fabula tradit, scil. lunam mox decrescere, mox impleri, Osirin lunam esse dixerunt, Typhonem solem, quo luna superatur quemque deinde effugit. Atque hoc paucissimis verbis commemoratur: καὶ κατακρατεῖν (scil. τὸν ἥλιον) πολλαχοῦ καὶ τῆς σελήνης. Nunc, quid de ceteris, quae praecedunt, iudicandum est? Omnia haec ex capite 33, h. e. ex secunda explicatione addita esse apparet. Locos conferre mihi liceat

cap. 41

τὴν μὲν γὰρ σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν εὐμενὴ καὶ γοναῖς ζῶων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι· τὸν δ' ἥλιον ἀκράτῃ πυρὶ καὶ σκληρῷ καταθάλλειν τε καὶ καταυαίνειν τὰ φυόμενα καὶ τεθηλότα.

cap. 33

ἀλλ' Ὅσιριν μὲν ἀπλῶς ἔπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν, αἰτίαν γενέσεως καὶ σπέρματος οὐσίαν νομίζοντες· Τυφῶνα δὲ πᾶν τὸ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες καὶ ξηραντικὸν ὅλως καὶ πολέμιον τῇ ὑγρότητι . . . καὶ τὸ μὲν ἕαρ θαλερὸν καὶ γόνιμον καὶ προσηγές· τὸ δὲ φθινόπωρον ὑγρότητος ἐνδεία καὶ φυτοῖς πολέμιον καὶ ζῴοις νοσῶδες.

Hoc quoque modo, non solum illo inepto conexu compileris efficere voluit, ut haec explicatio tantum supplementum quasi earum esse videretur, quae praecesserunt.

Herculem in sole, Mercurium in luna esse Aegyptii credunt, quia soli vis tantum insit, lunae autem ratio quaedam. Deinde Stoici laudantur, qui solem vaporibus marinis ali

dicunt, lunam eis, qui ex paludibus et fontibus oriantur. Atque nunc quidem quaestio oritur, utrum Plutarcho haec verba attribuenda esse putemus an compilatori. Dubitatio esse non potest. Nam quo haec verba spectent, luce clarius est, scilicet ad eam fabulae partem, quae a capite 18 incipit et ad eam explicationem pertinet, in qua Osiris luna, Typho sol est (cf. pg. 34). Osiride a Typhone direpto Isis per paludes vecta partes illas 14 colligit. Quomodo hoc explicandum sit, supra probavi: luna plena per quattuordecim dies minuitur, nova fit, deinde per totidem dies crescit vaporibus palustribus aucta. Atque eandem explicationem Stoicorum philosophiam laudans compilator ipse in fine capitis 41 affert. Ita simul aliud argumentum exstat, quo hanc explicationem ad illam fabulae partem pertinere confirmatur.

Capite 42 fabula accuratius explicatur. Osiris illo die moritur, quo luna plenissima facta est.¹⁾ Sequitur argumentum ex Pythagoreorum philosophia demptum, quo his quoque illum diem odio esse (scil. eodem modo atque Aegyptiis) confirmetur. Quod Osirin duodetriginta annos aut vixisse aut regnasse (hae sunt duae illae versiones, quas ex prima et secunda explicatione dempsisse et coniunxisse compilatorem supra vidimus²⁾) in fabula narratur, hoc significat lunam, quae duodetriginta diebus totam circuitiorem suam absolvit. Atque Osirin revera lunam esse, ipsis Aegyptiorum moribus funebribus, qui ad Osirin spectant, apparet. Osiris autem in quattuordecim partes direptus lunae lumina indicat, quibus a plena

¹⁾ Quamquam viri docti recte monuerunt hoc die lunam iam decrescere coepisse, tamen verba recte tradita esse puto. Nam prima fabula exstitit, deinde explicatio ei adaptata est. Atque cum in fabula Osiris septimo decimo die mensis Athyr mortuus esse dicatur, pro mense medio septimo decimo mensis die lunam plenissimam esse hic contenditur.

²⁾ Plane apparet compilatorem hanc duplicem versionem addidisse. Nam ad hanc explicationem una tantum quadrat, scil. eadem, quae secundae explicationi tribuenda est. Nam luna postquam paulatim crevit, ubi primum summam lucis vim assecuta est, sole superatur. Itaque omnino non, ut ita dicam, regnat. (cf. 356 D).

luna usque ad novam decrescit. Omnia quae in hoc capite usque ad finem sequuntur, nihil faciunt ad explicationem cognoscendam.

Videmus ergo, quomodo is, qui hanc explicationem fecit, varia lunae lumina fieri crediderit. Luna, cum quam maxime a sole distat, plena est. Deinde magis magisque soli appropinquat atque in dies lucis aliquid amittit, quoad nova luna fit. Hoc tempore soli proxima est. Tum eum effugit et vaporibus palustribus aucta rursus crescit et plena fit. Atque quoniam vapores etiam tum oriuntur, cum luna decrescit, illa pugna inter Typhonem et Horum fit, quae in capite 19 narratur. Nam Hori nomen illis vaporibus tribuendum est, cum ille Buti educetur (cap. 18), ubi paludes sunt (pg. 366 A). His vaporibus nihil efficitur, quamdiu luna soli appropinquat, sed demum inde, ubi luna solis radios omnia exurentes effugit.¹⁾

Nunc postquam hanc explicationem, quam confusionis vitandae causa tertiam nominare mihi liceat, ad secundam explicationem spectare apparuit, in ea talia quoque inesse videmus, quibus cum prima in qua Osiris Nilus est arte coniungatur. Nam in capite, quod sequitur, rationem quandam inter lunae lumina et Nili inundationes intercedere legimus: οἷονται δὲ πρὸς τὰ φῶτα τῆς σελήνης ἔχειν τινὰ λόγον τοῦ Νείλου τὰς ἀναβάσεις. ἡ μὲν γὰρ μεγίστη περὶ τὴν Ἑλεφαντίνην ὁκτὼ γίγνεται καὶ εἴκοσι πῆχεων, ὅσα φῶτα καὶ μέτρα τῶν ἐμμήνων περιόδων ἐκάστης ἔστιν· ἡ δὲ περὶ Μένδητα καὶ Ξοῖν βραχυτάτη πῆχεων ἔξ πρὸς τὴν διχότομον· ἡ δὲ μέση περὶ Μέμφιν, ὅταν ᾗ δικαία, δεκατεσσάρων πῆχεων πρὸς τὴν πανσέληνον. Ergo ibi,

¹⁾ Ad hanc fabulae explicationem omnia ea pertinere videntur quibus Osiride mortuo h. e. lunae luce deleta totam naturam vivere desinere, ea rursus oriente reviviscere narratur atque omnia et animalia et plantas, quae luna superata maxime crescunt, Aegyptiis odio esse, quia Typhonis victoria quasi laetentur, perhibetur. cf. hos locos: Plut. Quaest. Conv. 670 B, Aelian. de nat. an. B 35, Iohann. Lyd. de mens. III 8, Aelian. de nat. an. I B 13, Horap. I 15; I 7. Plut. de Is. et Os. 353 F, Aelian. de nat. an. I 16.

ubi Nilus ex Aethiopia Aegyptum intrat, duodetriginta cubitorum inundatio fit, itemque cum luna nova (nam ab illa mensis incipit) circuitiois suae initium facit, duodetriginta dies restant, quoad plena fiat. Inundatio fluminis media quattuordecim cubitorum est et lunae plenae respondet. Cui quattuordecim tantum lumina percurrenda sunt, iam soli (Typhoni) appropinquare coepit atque eodem modo Nilus propius ad mare (Typhonem) accessit. In fine fere itineris, quod Nilus fecit, inundatio sex cubitorum fit, luna dimidia est. Sex tantum dies ei restant, tum solem assecuta nova fit neque Nilo multum itineris faciendum est, quoad in mare influit. Ita Typho Osiridem vincit, sive sol est, quo luna minuitur, sive mare, in quod Nilus detruditur.

Deinde Apis quoque, quod animal Osiridi sacer eiusque imago est, cum luna quadam ratione coniungitur.¹⁾ Sed valde mira sunt ea, quae sequuntur: ἔτι δὲ τῇ νομηνίᾳ τοῦ Φαμενώθ μηνὸς ἑορτὴν ἄγουσιν, ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην ὀνομάζοντες, ἔαρος ἀρχὴν οὖσαν. At Osiris ipse luna est! Quid, si legimus Isidem in luna esse atque Osirin, ubi in lunam ingressus est, cum ea concumbere? Quid cum comperimus a Sole eam concipere, tum ipsam rursus fecunditatem emittere? An Isidem cum Typhone eodem modo, quo Osiris cum Nephthye, adulterium commisisse putemus? Ne hoc putemus; sed auctorem, qui haec omnia scripsit, amoena liberalitate usum nova explicatione nos donare voluisse apparet, quam ex duabus valde inter se diversis conglutinaverit. Nam revera Isis subito luna facta est, quae ab Osiride, qui sol est, concipit, deinde ipsa γεννητικὰς ἀρχὰς in aerem emittit atque omnium rerum, quae in terra sunt, auctor fit.²⁾ Deinde haec

¹⁾ cf. Plut. Quaest. Conv. 718 B. Aelian. de nat. an. I A 10.

²⁾ cf. id, quod Horapollon (I 1') de cantharis narrat: μονογενὲς δὲ δηλοῦντες . . . κἀνθαρον ζωγραφοῦσι . . . ὅτι αὐτογενὲς ἐστὶ τὸ ζῷον ὑπὸ θηλείας μὴ κυοφορούμενον· μόνη γὰρ γένεσις αὐτοῦ, τοιαύτη ἐστίν· ἐπειδὴν ὁ ἄρσεν βοῦληται παιδοποιήσασθαι βοὸς ἀφόδευμα λαβὼν πλάσσει σφαιροειδὲς παραπλήσιον τῷ κόσμῳ σχῆμα δ' ἐκ τῶν ὀπισθίων μερῶν κυλίσας ἀπὸ ἀνατολῆς εἰς δύσιν, αὐτὸς πρὸς ἀνατολὴν βλέπει, ἵνα ἀποδῷ τὸ τοῦ

sequuntur: οὐ γὰρ αἰὲν τὴν φθορὰν ἐπικρατεῖν τὴν τυφώνειον, πολλάκις δὲ κρατουμένην ὑπὸ τῆς γενέσεως καὶ συνδεομένην αὐτῆς ἀναλύεσθαι καὶ διαμάχεσθαι πρὸς τὸν Ὀρον. Ergo inter se pugnant duo illa principia, φθορά et γένεσις. Typho illam significat, Horus hanc. Iam Horus non patris ulciscendi causa cum Typhone pugnat. Sol et luna id principium ex se gignunt, quo omnia fiunt, quae in terra sunt. Hoc Hori nomine appellatur. Tamen alterum illud principium exstat, quod huic inimicum est et omnia, quae eo auctore oriuntur, rursus delere studet. Huic nomen Typhonis tribuendum est. Atque semper Horo cum Typhone in terra pugnandum erit. Terra ipsa, ergo id, ad quod illi efficaces sunt, in fabulae narratione nullo nomine appellata est. Quid autem, quod in fine capitis haec verba legimus: ἔστι δ' οὗτος (scil. Ὀρος) ὁ περίγειος κόσμος οὔτε φθορὰς ἀπαλλαττόμενος παντάπασιν οὔτε γενέσεως? Sed Horum γένεσιν esse modo comperimus. Qui fit, ut talem confusionem detegamus? Inde fit, quod cum compilatione nobis res est. Itaque quomodo duae hae explicationes, tertia et quarta, conglutinatae sint, nunc quaeramus.¹⁾

In tertia explicatione Osiriū lunam, Typhonem solem, Horum vapores esse, quibus luna alitur, vidimus. Sed quid

κόσμου σχῆμα. αὐτὸς γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀπηλιώτου εἰς λίβα φέρεται, ὁ δὲ τῶν ἀστέρων δρόμος ἀπὸ λιβὸς εἰς ἀπηλιώτην ταύτην οὖν τὴν σφαῖραν κατορύξας εἰς γῆν κατατίθεται ἐπὶ ἡμέρας εἰκοσιοκτὼ, ἐν ὅσας καὶ ἡ σελήνη ἡμέραις τὰ δώδεκα ζῷδια κυκλεύει, ὑφ' ἣν ἀπομένον ζωογονεῖται τὸ τῶν κανθάρων γένος, τῇ ἐννάτῃ δὲ καὶ εἰκοστῇ ἡμέρᾳ ἀνοίξας τὴν σφαῖραν εἰς ὕδωρ βάλλει (ταύτην γὰρ τὴν ἡμέραν νομίζει σύνοδον εἶναι σελήνης καὶ ἡλίου ἔτι τε καὶ γένεσιν κόσμου) ἥς ἀνοιγομένης ἐν τῷ ὕδατι ζῶα ἐξέρχεται, τούτεστιν οἱ κύνθαροι (Plut. de Is. et Os. 381 A, Aelian. de n. an. I 15).

¹⁾ Hanc quartam explicationem in Diodori quoque bibliotheca (I 11 = Hecat.) invenimus: τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους . . . ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς αἰδίους τε καὶ πρώτους, τὸν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὀσirin, τὴν δὲ Ἴσιν ὀνομάσαι . . . εἶναι τὸν μὲν Ὀσirin πολυφθαλμον (cf. Plut. de Is. et Os. 355 A) . . . τὴν δὲ Ἴσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιὰν . . . (cf. Hor. I α': αἰῶνα σημαίνοντες ἥλιον καὶ σελήνην γράφουσι, διὰ τὸ αἰῶνια εἶναι στοιχεῖα) cf. Iohann. Lyd. de mens. IV 32: ἡ δὲ Ἴσις τῇ Αἴγυπτίων φωνῇ παλαιὰ σημαίνεται, τούτεστιν ἡ σελήνη.

Isis significat? Nusquam de hac re agitur. Neque tamen dubitatio esse potest, quin Isidis nomen terrae tribuendum sit. Hoc luce clarius inde apparet, quod de lunae luminis fecunditate et de solis vi noxia tantis verbis agitur, quod in fabula narranda Isidem per paludes terrestres vectam Osiridis quattuordecim partes colligere audimus, quod filius eius, Horus, vapores significat, qui ex his paludibus terrestribus oriuntur et lunam augent. Atque in hac explicatione primum illud proelium inter Horum et Typhonem commissum nobis occurrit. In quarta autem Osiris sol est, Isis luna, eorum filius Horus id principium, quo omnia in terra oriuntur (γεννητικαὶ ἀρχαί, γένεσις). Neque minus ad hanc explicationem ea pugna pertinet, quae inter principium oriendi et principium intereundi fit. Compiler in conglutinando hac ratione usus est: primam explicationem fundamentum quasi habuit et satis accurate exposuit, quod ad Osirin et Typhonem attinet, cetera ex quarta dempsit et ad tertiam foedissime adaptavit. Isis iam non terra manet, sed Osiridi, qui luna est, adiungitur. Tamen ὑπ' Ἡλίου πληρουμένη est. Hoc ergo loco compiler Osirin se lunam fecisse oblitus est. Typho ipse φθορά esse non potest (nam sol iam est), sed φθορᾶς auctor est (φθορὰ τυφώνειος). Attamen γένεσις ipse Horus est (διαμάχεσθαι πρὸς τὸν Ὅρον), non γένεως tantum auctor. Ita omnia confunduntur. Sed quis deorum terrae debuit nomen dare, quoniam Isis in luna collocata erat? Compiler, qua erat audacia, Horo has quoque partes tribuit ita, ut nunc Horus et γένεσις et περίγειος κόσμος οὔτε φθορᾶς ἀπαλλαττόμενος οὔτε γένεως sit.¹⁾

¹⁾ In Macrobian Saturnalibus (I 21, 11) alia explicatio nobis occurrit: Osiris sol est, Isis terra. Ad hanc comprobendam illud argumentum adhibitum esse comperimus, quod bis in Plutarchi libro invenimus: Hunc Osirin Aegyptii, ut solem esse adserant, quotiens hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirin monstrant, significantes hunc deum solem esse regali potestate sublimem cuncta despicere, quia solem Iovis oculum appellat antiquitas (Plut. 354 F, 371 E). Praeterea alia explicatio in eodem capite exstat: apud eodem Apollo, qui est sol, Horus vocatur: ex quo et horae

Denique ad caput 44 accedamus, quod ad eandem compilationem pertinere et inter omnia capita, de quibus adhuc egimus, longe difficillimum intellectu esse statim videbimus. Osiris iterum luna est, praeterea Nephthynis et Anubidis nomina nobis occurrunt, quae prima explicatione excepta nusquam alibi invenimus. ἔνιοι δὲ καὶ τῶν ἐκλειπτικῶν αἰνίγμα ποιοῦνται τὸν μῦθον. Agitur ergo ut videtur in hac quinta explicatione de sideribus deficientibus atque primum quidem de lunae defectu, qui exponitur eodem modo, quo iam stoici (Zeno) eum intellexerant: τὴν δὲ σελήνην (scil. ἐκλείπειν) ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ τῆς γῆς σκίασμα. ὅθεν καὶ ταῖς πανσελήνοις ἐκλείπειν μόναις, καίπερ κατὰ διάμετρον ἰσταμένην κατὰ μῆνα τῷ ἡλίῳ, ὅτι κατὰ λοξοῦ ὡς πρὸς τὸν ἥλιον κινουμένη παραλλάττει τῷ πλάτει ἢ βορειότερα ἢ νοτιωτέρα γινομένη. ὅταν μέντοι τὸ πλάτος αὐτῆς κατὰ τὸν ἡλιακὸν καὶ τὸν διὰ μέσων γένηται, εἴτα διαμετρήσῃ τὸν ἥλιον, τότε ἐκλείπει (Diog. Laert. VII 146). Luna in terrae umbram incidit ut Osiris in arcam. Typho igitur sol est, cuius radiis illa umbra fit. αὐτὴ δὲ πάλιν (sc. ἡ σελήνη) ἀποκρύπτει καὶ ἀφανίζει ταῖς τριακάσιν, οὐ μὴν ἀναιρεῖται παντάπασιν τὸν ἥλιον, ὥσπερ οὐδὲ τὸν Τυφῶνα ἡ Ἴσις. In hac sententia omnia mira sunt. Osiris ipse, non Horus cum Typhone pugnat, eum vincit, neque vero devincit, ipse cum Iside comparatur, quae Typhonem omnino non superat, sed eum tantum liberat cum ab Horo vinctus adducitur (cf. pg. 358D). Sed difficultates eis quae sequuntur, augeri videmus. Nephthys τὸ ὑπὸ γῆν καὶ ἀφανές, Isis τὸ ὑπὲρ τῆν γῆν καὶ φανερόν est, Anubis, ὁ τούτων ὑποψαύων καὶ καλούμενος ὀρίζων κύκλος, ἐπίκοινος ὦν ἀμφοῖν, simul χθόνιος et ὀλύμπιος est. Hanc explicationem cum ea, quae praecedat, nihil commune habere

viginti quattuor quibus dies noxque conficitur nomen acceperunt, et quattuor tempora, quibus annus orbis impletur, horae vocantur (cf. Iohann. Lyd. de mens. II 4) Ad hanc explicationem hi loci pertinere videntur: Horap. I 17, 18, Aelian. de nat. an. E 89, Plut. Quaest. Conv. 670 C, Macrobian. I 21, 17, Horap. I 1, Aelian. de nat. an. I 14 Horap. I 3, Aelian. I 18. Macrobian. I 21, 18. Aelian. I B 7. Macrobian. I 21, 16.

iam elucet. Sed ut totam intellegamus, ultimam capitis sententiam adiungamus necesse est: εἰσὶ δέ τινες οἱ τὸ σκίασμα τῆς γῆς, εἰς δὲ τὴν σελήνην ὀλισθάνουσιν ἐκλείπειν νομίζουσι, Τυφῶνα καλοῦντες.

Atque nunc demum de tota explicatione accuratius agere possumus. Anubis dirimit τὸ ὑπὲρ τὴν γῆν et τὸ ὑπὸ γῆν, est ὁρίζων κύκλος. Ergo in hac explicatione terra orbis est, nomine Anubidis extremus eius circulus appellatur. Canis imagine Anubis significatur, quia canis et diu et noctu aequo modo videt. Anubis igitur solem semper spectat. Atque quoniam Anubis et χθόνιος et ὀλύμπος esse dicitur, Nephthynem Tartarum quasi esse concludamus necesse esse puto. Osiris cum Nephthyme concumbit, h. e. luna relinquit τὸ ὑπὲρ γῆν et intrat τὸ ὑπὸ γῆν. Inde, quod Isis Anubin Nephthynis filium adoptat, Anubidis nomine illum terrae circulum extremum, quo Isis et Nephthys dirimantur, significandum esse auctor huius explicationis putavit. Sed fabulam non amplius respexit, neque id egit, ut aliquid inveniret, quod revera filius lunae et Tartari vocari posset, sed loca tantum inter se propinqua nominare, non conexum inter ea constituere voluit.

Sed eodem modo, quo Osiris cum Iside, luna cum eo, quod supra terram est, coniungitur, Typho quoque cum Nephthyme coniungeretur necesse erat. Quid autem Typhonis nomine significatum est? Nephthys Tartarus est, τὸ ὑπὸ γῆν, Anubis diu noctuque solem spectat, ergo, cum sol Graecorum sententia radiis suis Tartarum non contingat, nobis cum tali explicatione rem esse elucet, in qua sol occidens non sub terram, sed tantum usque ad terrae circulum extremum progrediatur. Itaque Typho sol fuisse non potest. Sed quid tandem fuit? Mea quidem sententia eius nomen tenebris tribuendum est, quae cum Tartaro coniuncta sunt et quibuscum lunae pugnandum est. [Cf. capitis finem, ubi omnia ad sidera deficientia translata sunt. Revera in hac explicatione non de terrae umbra agitur, sed de umbra, de tenebris, quae sub terra, in Tartaro sunt.] Quam pugnam ex variis lunae luminibus conspiciamus.

Cum luna plena est, proelium incipit. Atque quotiens luna extremum illum terrae circulum attingit, totiens magis tenebrae superatur, ut Osiris a Typhone, h. e. in lunae orbe tenebrae augentur, lumen diminuitur. Sed postquam luna nova facta est, tenebrae lumine vincuntur (quasi Typhonem ab ipso Osiride superatum esse in fabula narratum sit), paulatim lumen augetur, quoad luna plena reddita est, deinde rursus Typho superior fit etc.

Nunc iam apparet, quanta licentia auctor huius explicationis usus sit, quantopere fabulam ipsam neglexerit et nomina tantum, non res gestas explicaverit. Pugna contra Typhonem fit, neque vero ab Horo, sed ab Osiride ipso. Horus in hac explicatione non commemoratus esse videtur. Omnino auctorem hoc modo hanc explicationem consecutum esse elucet. Deliberavit: si fieri potest, ut Isidi Nephthynis filius supponatur, hoc ita explicandum est, ut non certo constituisse putemus, utrum Anubis ad Nephthynem an ad Isin pertinuerit. Ergo ille inter has deas interfuerit necesse est ita, ut utrique attribui posset.

Itaque auctor per totum mundum talia loca quaesivit, quibus haec nomina Isis Nephthys Anubis apte appellare posset, et Nephthynem Tartarum esse, Isin id quod supra terram sit, Anubin limen quasi esse, quo illae dirimerentur, contendit. Cum Tartaro tenebras coniunxit atque Typhonis nomen tenebris Tartareis dedit. Neque pugna tenebris esse potest nisi cum lumine. Quam pugnam in lunae orbe videmus, ergo Osiris luna est. Hoc fere modo talis explicatio oriri potuit. Atque omnes difficultates, quae nobis ineunte capite occurrunt, inde derivandae sunt, quod compiler hanc explicationem ad totam compilationem adaptare conatus est. Itaque quia per totam compilationem Osiris luna, Typho sol erat, hanc explicationem in siderum defectibus, quos revera non spectat, posuit et primas sententias ipse addidit, eam autem, quae hoc loco recte steterat, in fine verbis εἰσι δὲ τινες

usus adiunxit, sed valde mutatam.¹⁾ Atque in ea sententia, quae sequitur (αὐτὴ δὲ πάλιν ἀποκρύπτει καὶ ἀφανίζει ταῖς τριακάσιν, οὐ μὴν ἀναιρεῖται παντάπασιν τὸν ἥλιον, ὥσπερ οὐδὲ τὸν Τυφῶνα ἢ Ἴσις), primum ἀποκρύπτει καὶ ἀφανίζει ταῖς τριακάσιν, οὐ μὴν ἀναιρεῖται παντάπασιν scripsit pro solis verbis ἀναιρεῖται, οὐ μὴν παντάπασιν, deinde solem pro tenebris hic collocavit. Cetera omnia immutata recepisse videtur.

Jam ad finem opusculi pervenimus. Quid igitur consecuti sumus? Antiquum libellum recuperavimus, quo Plutarchus in libro suo componendo usus est, atque hunc libellum ipsum rursus compilationem esse vidimus. Neque minus apparuit, quibus quotque ex partibus compilatio facta sit et qua ratione compilerator usus sit. Neque vero fieri potuit, ut de nomine compileratoris quicquam comperiremus, hoc tantum constat: aut Zenonis aetate aut post Zenonem compilationem ortam esse inde apparet, quod in capite 41 ipsos stoicos ad partes vocatos invenimus.

¹⁾ Hac ratione saepius eum usum esse iam vidimus. cf. pg. 356 A D.

VITA.

Natus sum Paulus Frisch in Borussiae oppidulo, quod est Gransee, a. praet. s. LXXXIV a. d. VI. Nonas Maias, patre Augusto, matre Anna e gente Wuthe. Fidei addictus sum euangelicae.

In oppidulo patrio primis pueritiae disciplinis imbutus cum per octo annos Gymnasium Regium Ioachimicum frequentavissem, per quod tempus magistri ducesque optimi mihi fuerunt cum alii tum Carolus Bardt, Carolus Fuhr, Otto Schroeder, maturitatis testimonio instructus vere a. MCMII Gottingam me contuli atque inter cives academicos Georgiae Augustae receptus studiis philologicis et philosophicis me dedi. Post tria semestria Berolinum migravi, unde vere anni MCMV Gottingam reversus sum. Docuerunt me viri doctissimi: Baumann Diels Dilthey Haguenin Hirschfeld Klebs Leo Otto E. Schmidt Schultz-Gora Guil. Schulze E. Schwartz Schwarzschild Stimming Stumpf Vahlen Vischer Wentzel de Wilamowitz-Moellendorff.


Regii Philologorum proseminari sodalis fui Gottingae et Berolini per quinque semestria, seminari Gottingae per tria. Ad exercitationes philologicas benigne me admiserunt Guil. Schulze et Wackernagel, ad historicas Busolt, ad archaeologicas Dilthey, ad philosophicas Baumann. Magistris meis, imprimis Eduardo Schwartz, cuius auspiciis hoc opusculum ortum est, quantum debeam, numquam obliviscar. Neque minus gratias hoc loco agere mihi liceat Carolo Bardt,

qui semper quam maxime studiis meis favebat. Deinde virum doctissimum Sethe, qua est benignitate, opusculum meum perlegisse meque nonnullas res, quae ad litteras Aegyptiacas pertinent docuisse grato animo commemoro.

Denique me societatis philologorum Gottingensium et sodalicii Berolinensis sodalem fuisse atque esse gaudeo.







DUE MAY 22 1922

~~DUE FEB 25 '35~~

~~DUE MAR 25 '35~~